Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Valentin Ernst Löscher

Valentini Ernesti Loescheri Exercitatio Theologica De Claudii Paionii, Ministri Aurelianensis, Eiusq[ue] sectatorum, quos Paionistas vocant, Doctrina & fatis

Lipsiae: Klosius, 1692

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756633877

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756633877/phys_0001
DFG

Ff 3646.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756633877/phys_0002
DFG

Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756633877/phys_0003
DFG

VALENTINI ERNESTI
LOESCHERI
Exercitatio Theologica
DE
CLAUDII
PAJONII,
Ministri Aurelianensis,
Ejusq; sectatorum, qvos PAJONISTAS vocant, Doctrina & fatis.

Accedit

LECTIONUM SACRARUM
Ex omni Theologia, cumprimis Thetica, Polemica, Symbulevtica, Morali, Mystica, Practica, Homiletica, Critica & Historica

FARRAGO ΕΠΙΜΕΤΡΟC.

Lipsiæ, apud JOH. HEROBORDUM KLOSIUM, Bibliop. 1692.

F. f. – 3646.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756633877/phys_0006
DFG

MAGNO THEOLOGORUM PARI,

VIRIS,

Magnifico, Summè Reverendo, Nobilissimis ac Excellentissimis,

DN. VALENTINO SITTIGIO,

Doctori Theologo Celeberrimo, Sereniſſimi Ducis Saxonici Concionatori Primo Aulico, Eidem à Confeſſionibus ac Sacris Conſiliis, Diœceſeosqve Martisburgicæ Superintendenti meritiſſimo,

AVO, PATRINO & PATRONO Suo ſubmiſsè colendo.

Nec non,

DOMINO

JOH. CONRADO SITTIGIO,

SS. Th. Doctori, Eccleſiæ Pegavienſis Graviſſimo Paſtori, & ejusdem Diœceſeos Superintendenti Spectatiſſimo,

PATRONO & COGNATO ſuo honoratiſſimo

S. P. D.

VAL. ERNEST. LOESCHERUS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756633877/phys_0007
DFG

NOn leve, aut exiguum est, qvod audeo, EXCELLENTISSIMI VIRI, qvi obduratâ veluti fronte, vestris hodiè oculis Schediasma privato labore ac studio natum consecraturus, nec eruditorum hominum judicia, nec vestram amborum dignitatem in altissimo fastigio positam & veluti exemptam inferiorum grege, eâ qvâ par est, ratione vereor. Nam cùm utriusqve magna habenda mihi sit ratio, uti & suspicer magnos homines, nec eorum auctoritatem dignitatemvé ineptis occupationibus vio

lem,

lem, deniqve ut scribentium illud cacoëthes fugiam, nec protrudam adeò aliqvid in publicum, qvod nec judicii maturitas comprobaverit, nec stylus decies versus ad Maronis & Flacci exemplum formaverit denuò, ne vel meritas audaciæ pœnas luam apud eruditos, vel ignorantiæ infelices notas, ut sorex, proprio indicio prodam. Qvæ cum priùs diu multumq; meditatus mecum fuerim, facilè in arenam hanc descendo, vestrôqve me arbitrio causâ casurum non auguror, qvorum auctoritas sancta apud me semper & inviolata per-

manebit. Nam cùm à primis usqve annis nihil prius aut antiqvius habuerim, qvàm ut devoto ad obsequium animo colerem MAGNIFICUM AVUM, & debitâ invicem obsservantiâ proximos materni generis agnatos venerarer, vires mihi deesse, qvæ cupidæ voluntati satis responderent, graviter sæpenumerò dolui. Stimulos currenti addidit devotæ mentis promptitudo, jussitqve ad altiora progredi identidem, & vias omni studio indagare, qvibus aditus ad vestrum mihi favorem atqve benevolentiam pararetur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756633877/phys_0010
DFG

tur. Hæc dum infinitis mecum vicibus meditor, accidit, ut privato qvædam studio, ad meos mihi potissimùm usus colligerem, qvæ cùm ad Philologicas Philosophicasqve ἀκροάσεις, tum ad Sanctæ θεολογίας Medium,& Historiæ Ecclesiasticæ institutionem pertinere mihi videbantur. Temporum nostrorum hæreses,qvas Lernam sexcentorum capitum meritò diximus, post alia studiosè colligebam; miratus incredibilem Seculi nostri fœcunditatem,qvod nova ex improvisò monstro-

rum genera, & novas malè sentientium opiniones copiosè proferebat. Ac hos propemodùm in usus, librorum à proximis annis editorum Catalogos & Ephemerides evolventi, duæ potissimum occurrebant ex utroq; adversariorum grege, qvæ nolentem qvodammodò retinere videbantur. Animadvertebam florentissimas Gallorum Ecclesias pernicioso schismate disjungi, cum ex pontificiorum familia P. Malebranchius, Pajonianæ Hypotheseos & aliarum opinionum mutato schemate non infelix apud suos propugnator,

tor, in diversas partes qvamplurimos perduceret, libros magno numero evulgaret, & necqvicqvam repugnante Antonio Arnaldo ἐυρηματα sua mordicùs defenderet: Ex altera parte Petri Jurii Reformati Antistitis libris & Papini cujusdam scriptis edocebar, Reformatas olim in Galliis Ecclesias non minùs turbari domestico schismate, cujus auctorem Claudium Pajonium, Aurelianensem Ecclesiastem, complures venditabant. Placuit præ cæteris alterum illud Thema, qvod privato labore, conqvisitis undiqve librorum auxiliis

elucubrarem, relegato ad eruditiores Malebranchio, qvi occultioribus telis pugnat, acceptasqve ab aliis, ut ait ille, amentatas hastas oratoriis lacertis & viribus torqvere didicit. Eqvidem graviter doleat necesse est; qvi funesta illa Christianæ Ecclesiæ dissidia secum reputans, novas subinde exoriri in Ecclesia tempestates animadvertit, qvam divinæ concordiæ vinculo firmissimè contineri pium omninò & æqvum erat. Nam ut recte ait Nilus Doxapatrius. *Tract. de qvinq; sedibus Patriarch. ad Roger. Sicil. Reg.* ἔδει τέλειον εἶναι τὸ σῶμα τῆς ἐκκλη-

ἐκκλησίας, ἧς μία κεφαλὴ ὁ χριστὸς, ἕτω καὶ ἡ ἐκκλησία τοῦ χριστοῦ ἓν σῶμα ἔσα ἅπασα καὶ μία τῇ εἰς χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ πίστι ἐσπειγμένη: aut ut egregiè Petrus Antiochenus in Epist. ad Gradensem Archiepisc. qvam nuper Joh. Bapt. Cotelerius Parisiis in lucem produxit: τὸ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου ὑπὸ μιᾶς ἄγεται κεφαλῆς, ἐν αὐτῷ δὲ μέλη πολλά· καὶ τὸ σῶμα δὲ πάλιν τοῦ χριστοῦ, ἡ τῶν πιστῶν δὲ λέγω ἐκκλησία ἐν διαφόροις ὥσπερ μέλεσι συναρμολογουμένη ἔθνεσιν,

νεσιν, ὑπὸ μιᾶς ἄγεται κεφαλῆς τοῦ χρεισοῦ. Qvæ cùm ita se habeant, præstat eorum cognitioni operam dare, qvi turbas in Ecclesia movent, & Schismatum auctores atris carbonibus notare, eos præcipuè, qvi antiqvas hæreses ex orco revocant & novo ἐγκομβώματι, velut in scenam processuras, donant. Nam qvod de detegenda Bogomilorum apud Græcos hæresi auctore Basilio Monacho ex Manichæorum & Paulinorum sectis ortâ, Anna Comnena doctissima mulier, Alexiad: Lib. XV, scribit:

μετὰ

μετὰ ταῦτα μέγιστον ἐπεγείρεται νέφος αἱρετικῶν, καὶ τὸ τῆς αἱρέσεως εἶδος καινὸν, μήπω πρότερον ἐγνωσμένον τῇ ἐκκλησίᾳ. δύο γὰρ δόγματα συνελθέτην κάκιστα, καὶ φαυλότατα ἐγνωσμένα τοῖς πάλαι χρόνοις, μανιχαίων, ὡς ἄντις εἴποι δυσσέβεια ἦν, καὶ Παυλιανῶν βδελυρία, id paucis immutatis de Pajonianis erroribus affirmari potest. Nam & illi novi & in Ecclesia inauditi videntur, cùm gypsatis veluti manibus, ut ille ait, in publicum prodeant, & antiqvas nihilominùs hæreses publi-

blicè reſuſcitât, Durandi ſententiam ab orthodoxis improbatam ſeqventes, & Pelagianam hæreſin novo ſchemate defendentes. Qvo conſilio neſcio an pari ſucceſſu, hanc telam auſpicatus nuper ſum Exercitatione Theologicâ de Pajonianis erroribus conſcriptâ. Nolui enim in altiora ſanctæ θεολογίας myſteria illotis qvaſi manibus irruere, unde illis potiſſimum, qvæ ad Hiſtoriam faciunt enarratis, notatisq; adverſariorum erroribus vela contraho, & ubi res ipſa poſtulat, qvamplurimum alienis armis depugno, Theologo-

gorum in Ecclesia celebrium argumenta & dicta in auxilium vocans. Qvibus κατ' ἄνθρωπον pugnando, junxi Calvinianos doctores, ut & proprio gladio adversæ partis homines convincantur, & origo erroris summatim ostendatur. Qvocirca Theologos Gallos potissimum adduco, ut Gallis cum Gallis melius conveniat, in his Theodorum Bezam, Ludov. Capellum, Mosen Amyraldum, Ludovicum Le Blanc, Jacobum Capellum, Danielem Chamierum, Josuam Placæum, Samuelem Maresium,

sium, Abrahamum Ramburtium. Petrum Jurium, Joh. Claudium defuere operi, qvod dictu prorsus indignum, ingenii ac eloqventiæ egregium flumen, ac eruditionis vis recondita, qvorum si copia Auctori contigisset, næ ille & testimoniis scriptorum magis appositis, & argumentis longè firmioribus rem peregisset. Placuit tamen iis, qvorum nutus ac mandata veneror, ut publicè prostaret leve ingenii monumentum, non qvod dignas judicarent collectas tenui judicio schedas, qvæ doctissimorum hominum com-

commentariis jungerentur, sed ut mea ergà Vos, sangvinis nexu proximos observantiæ, meorumq; studiorum, inter eruditos testimonium exstaret. Accipite igitur, VIRI SUMME REVERENDI, qvod vestro cumprimis honori debetur, munusculum, leve fateor, & indignum vestris nominibus, qvod, nisi me omnia fallunt, ex animo magis, qvi omnium vobis devinctissimus, qvàm ex re ipsa judicabitis. DEUM precor, uti, qvemadmodum vestra in me beneficia, ac merita in sanctissimam Christi Ecclesiam nul-

nullis finibus circumscribuntur, ita honoris vestri ac felicitatis spatium sempiternis seculorum terminis finiatur. Perscribebam Wittenbergæ Nonis Januariis Anno Æræ Christianæ M DC XCII.

Ecce

(o)

ECce Valentinum! qvi cùm juvenilibus annis
Se validum ingenio præstet & arte Virum;
Vir qvid præstabit? Referet Patrem ille valenter,
Atqve Valentinum sic qvoqve reddet Avum.

Gratulatio & votum

D. VAL. ALBERTI, P. P.
& Consist. Lipsiens.

ΘΕΟΤ

ΘΕΟΥ ΑΜΥΜΟΝΙ ΠΟΜΠΗΙ
Διάσκεψις Theologica

De

CLAUDII PAJONI

Eccleſiaſtæ Aurelianenſis Galli ejusq; Sectatorum, qvos PAJONISTAS hodie vocant Doctrina & Fatis.

I.

LErnam hodie malorum patimur & noſtrô propemodùm jure, dum infinitis undique, cumprimis verò in Eccleſia diſſenſionum monſtris communis concordia labefactatur. Nam ut Poëticus ille Hercules, quotiescunq; infami Lernæ caput detruncâſſet, toties novis ſubindè impigrè renaſcentium periculis defatigabatur: Sic Eccleſiæ CHRISTI I.

vix unico ἑτεροδοξίας capite devictô, ne noxiâ videlicet qviete corrumpatur, cum novis illicò opinionum monstris
2. decertandum est. Adeò, ut quod de veteri Ecclesiâ Clemens Alexandrinus dixit, (a) ὅπως αἱρήσεσθε τὰς αἱρέσεις τῇ ἀληθείᾳ, καθάπερ τῷ πυρῷ τὰ ζιζάνια, de seculi hujus nostri turbis accuratè
3. enunciari possit. Africam olim proverbiô sanè notissimô, semper novi aliquid alere veteres dicebant; sed quàm appositè, quàm scitè Seculo illud nostro conveniat, non prolixè equidem evincam. Nam & odiosa res est, iis maximè, quorum absurdissimæ opiniones fusiùs enarrandæ sunt, & quotidiana insuper experientia clarissimè testatur nos à scopo ne hilum quidem aberrâsse, aut plura etiam dixisse, quàm quæ assiduo re-
4. rum usu comprobarentur. Evangelica certè Ecclesia unicè orthodoxa, sanctissima illa invictæ veritatis, quic quid ὀι ἐξ ἐναντίας obstrepant vindex atque assertrix fortissima, tot jactata hactenùs hete-

(a) *Libr. VII. Stromat.*

heterodoxorum incursibus est, ut non possimus satis insolitam divini Numinis benignitatem deprædicare, quâ certò confisa ad malevolorū quorumlibet incursus imperterrita hactenùs subsistit. Non prolixiùs enarrabo ea, quæ tem- 5.
porum longinquitas felicissimâ oblivione veluti obliteravit, ne Anagyrin, quod ajunt, Sacramentariorum, Iconoclastarum, Adiaphoristarum, Philippistarum, Flacianorum, Osiandrinorum, Stancaristarum, Interimistarum, Libertinorum, aut Huberianorum, cum quibus superiori seculô depugnavit movere denuò videar, quandoquidem istæ solùm calamitates, quibus hodie perturbamur præteritorum memoriam fermè omnem nobis eripiunt. Nam quid 6.
Valentinus Weigelius Tzchopavienſis apud Miſnos Eccleſiaſtes egerit, quales in Eccleſia Dei turbas dederit, in vulgus notum est, ut adeò hodienùm in Germania Polonia ac Belgio complures inveniantur infestis ejus dogmatis impensè faventes. Jacobus Bohemus 7.

Lusatus, Gorlicensis sutor quadraginta abhinc annis immane quid ausus est, qui proletariæ conditionis homo eruditissimos docere non erubuit. Pauca dixi: nam nec eruditi, quod mirandum, nescio quô iniquiori fidere fascinati ab imperito discere erubuerunt. Ac Teutonicus hic Philosophus, (hôc enim nomine exteris præsertim innotuit) quod privatim & temerariô ausu cœperat, infeliciter expedivit: nam & Germanorum quàm plurimos in laqueos deduxit, & in Belgiô quoq; ipsâq; Britannia asseclas invenit, qvi sub Thesauravii
11 Johannis sectatorum nomine iisdem profanis opinionibus civium animos
8. corrumpunt. Nec minori periculô aggressi veritatem pleriq; sunt, qui Syncretismum meditati, ac Ecclesiastica pacis ultrà aras studiosi, veram Ecclesiæ tranquillitatem penitùs labefactârunt. Quid deniq; multi sub pietatis schemate moliantur, enarrare supervacaneum
9. judicamus. (a) Longè verò felicior, si lo-

(a) ex II. Tim. III, 5.

si loqui ita licet, zizaniorum messis iis in locis datur, ubi Calviniani vivunt, quibus penè qvotidiana hæc clades est, adeò ut consvetudine assiduâ fermè occalluerint. Hercule, credo, opus esset, qvi Augiæ istud stabulum infinitis laboribus expurgaret; sed quid Herculem quæro? cùm nec enumerandis solùm illis par esse posset. Nam in Britannia & Belgio cùm multi sint, qvi infames totas Anabaptistarum sectas totô animô detestantur, major tamen propemodum eorum numerus est, qvi iisdem pressius adhærent. Videres hic Separatistas, Apostolicos, Silentes, Georgianos à David Georgio, qvorum oppidò multi in Belgio olim vivebant, Hutitas ab Huto, Melchionistas à Melchiore Argentinensi, Mennonistas à Mennone Frisio, Bucholdianos à Bucholdo Polygamo, Denkianos, Browniastas à Roberto Brownio Anglo, Barrowistas & Wilkinsonianos à Barrowio & Wilkinsonio Britannis, Familistas, qvi in Henrici Nicolai Hæresiarchæ, Cassatii & Grindletonii

socios distingvunrur, Independentes porro, Chiliastas, Thraskeos, Antisabbatharios, Antiscripturarios Hederingtonianos ab Hederingtono Britanno, Qvackeros, Ranteros monstra hominum, Muggletonianos à Joh Robbio & Mugletonio denominatos, aliosqve complures tantò numero ut dicente Satyricô (a)

„ Promptiùs expedias, qvot amaverit Hippia mœchos,
„ Qvot Themison ægros autumnô occiderit unô
„ Qvot Basilus socios, qvot circumscripserit Hirrus
„ Pupillos — — —

de qvibus singulis videri possunt Eduardus in Gangræna, Alstedius in Historia Anabaptistarum, Rossæus in Religion;
13. Mundi, Divisione XII. Qvid Faustus Socinus Italus Genevæ egerit, qvantumq; sub Unitariorum nomine in Germania & Polonia ejusdem asseclæ ante hos decem annos, qvibus Polonicis dito-

(a) Juvenal. Sat. X.

tionibus excedere pleriq; jussi sunt, efloreſcere cœperint ignotum vix esse poteſt illis, qvibus præter antiqviores Smalzium, Oſtorodum & alios Schlichtingii Nobilis Poloni, Martini Ruari, Holſati, A. Chriſtophori Sandii Junioris Regiomontani, qvi A. C. 1680. vitâ deceſſit memoria adhuc hæret. Presbyterianorum porro & Epiſcopalium ſchisma multum Calvinianorum Eccleſiis olim hodieq; detrimenti injunxit, examœbeis Joſephi Halli, Prideoſii, Gisberti Voëtii, Samuelis Mareſii aliorumque ſcriptis ſatis ſuperq; notum, & in eruditiſſimo inſuper ſched aſmate de Epiſcopis & Presbyteris à Claudio Salmaſio V. Cl. ſub Walonis Meſſalini nomine luculenter expoſitum. Addo Jacobum Arminium Veteraqvinatem, qvi qvintô hujus ſeculi annô apud Batavos caput efferre cœpit, cujus ex conatibus qvantùm turbarum natum ſit, Arminianismi nomine à Philippo Limborchio hodienum, poſt Simonem Epiſcopium in Synodo Dordracena, defensô, nolunt

runt pleriq; omnes, præsertim si Supralapsariorum, & Infralapsariorum aut Intralapsariorum

(Nomina vel solo penè tremenda sono!)

adeoqve originis & incunabulorum
16. hujus mali in mentem venerit. Neqve multum interfuit, quin controversiæ illæ, quæ Mosi Amyraldo & Claudio Testardo aliisq; Salmurienſibus Theologis cum Friderico Spanhemio Patre, & Belgis intercedebant in apertum schisma abirent, Amyraldistarum nomine in Galliis dudum frequentissimô ut ex B. Hülsemanni opere de auxiliis naturæ & gra-
17. tiæ constat. (a) Postmodũ cum Renatus des Cartes, strenuus ille, uti à sectatoribus suis vocatur, Philosophiæ universæ repurgator, id sibi licentiæ sumeret, ut applicatis ad sacra mysteria placitis suis multa doceret, quæ ipsis etiam Theologis ferenda vix videbantur; factum tamen est, ut illorum plurimi, Cartesianos se vocari, non exiguo honori ducerent

Dignum

(a) *Dist. II. cap. I. Thes. I, 4.*

Dignum verò Theologo nomen, qui Philosophiæ tantis præsertim scoriis infectæ velificaturus, Dominam veluti illam & judicem Theologiæ constituat!
Nota est Samuelis Maresii & Christophori Wittichii Cartesiani concertatio de abusu Philosophiæ Cartesianæ in Theologia, ex Wittichii Theologia Pacifica A. 1671, Maresii indiculo Controversiarum & Systemate cum annotat. A. 1673 Groningæ, Wittichii Theologia Pacifica cum appendice denuò 1675. & Theologia Pacifica defensa 1689. in lucem productis. Cartesium imitatus est Joh. Coccejus, qui Theologiam, ut Philosophiam ille à mendis repurgaturus, infelici prorsus successu Belgicarum Ecclesiarum concordiam ferè omnem sustulit. Nam infinitas equidem lites Cocceji hic νεωτερισμὸς peperit, quarum non ultima illa est, quæ paucis abhinc annis de fœderibus divinis Petrum Allingam Coccejanum & Melch. Leydeckerum exercuit, editis etiam scriptis, post Leydeckeri Facem veritatis, Allin-

18.

19.

gæ face extincta sive Exercitationibus Pacificis Amstel. 1682. aliisq; notissima.

20. Accedit controversia de perpetua moralitate Sabbathi, inter Fr. Gomarum, Danæum negantes & Walæum ac Andream Rivetum & reliquos Leidenses Theologos affirmantes agitata, quam Andreas Essenius denuò recoxit, dissertatione de perpetua moralitate decalogi & Sabbathi Ultrajecti 1660. editâ. Pajonistarum mentionem consultò facere nolui, cùm alias etiam controversias Belgicas maximè inter Fr. Gomarum, ac reliquos Leidenses de subjecto prædestinat. inter Martinium ac Crocium Bremenses, & Sibrandum Lubbertum ac Gomarum de causa conversionis, de traduce animarum aliisq; inter Joh. Maccovium Theolog. Franekeranum & Lubbertum, ex Leydeckeri Face veritatis Actis Synodi Dordracenæ, & Spanhemii Elencho petendas brevitatis studiô omiserim.

21. Nunc ad Romani Pontificis gregales veniendum nobis est, confidentes utique & harmoniam ubiq; crepantes, unde

Eccle-

Ecclesiarum illi suarũ consensum toties explosum ad nauseam nobis ut Homerus suum illud τὸν δ' ἀπαμειβόμενος aut ὡς φάτο objiciunt, sed quô iure alii videant. Mihi sane φλυαρεῖν & ex arena, quod ajunt, funiculos nectere videntur, qui Romanæ Ecclesiæ harmoniam tribuunt, quam planè exiguam, imò nullã prorsus esse experientia liquidò testatur. Nam 22.
Seculi hujus initiô (de quo in præsenti agendum solùm duximus) Jesuitæ & Dominicani de auxiliis gratiæ ad internecionem usq; depugnârunt. Quam post- 23.
liminio controversiam, dudum ut credebatur sopitam Cornelius Jansenius Ipren sis Episcop. ex orco revocavit, Molinam Jesuitam Gallum adversarium nactus, quorum pugnæ ac concertationes, Jansenistarum & Molinistarum factionibus nomina dedêre. Nam & hodiè durat hæc lis Arnaldô doctissimô Gallô Jansenium, Jesuitis quin Rege etiam armis ac potentia ac illustrissimis Galliarum Principibus scriptis consiliisq; Molinæ partes defendentibus, tametsi edi-

cto Innocentii XI. d. 2. Mart. 1679. publicatô Janseniſtis quidem nimis propitio (quod faventius tamen experti dubiô procul fuiſſent, niſi Jeſuitarum obſtitisſet auctoritas) ſopita denuò videretur.

24. Idem teſtatur Illuminatorum apud Hiſpanos ſecta. Quietismi leve præludium & notisſima de immaculata B. Virginis θεοτόκῳ conceptione controverſia à Jeſuitis agitata, & à Gregor. XV. ad legationem Philippi III. & IV. Hiſpaniarum Regum, pro ἀποφάσει, cujusq; myſterium Spiritus S. nondũ revelâſſet habita, ſecundum Acta Legationis Hiſpanicæ de hac controverſia à Luca Wattingo Lovanii edita. (a) Quam controverſiam omnem dextrè accurateq; explicat B. Scherzerus זכרונו לברכה in Breviario Hülſemanniano extenſo à Magnifico Alberti Lipſiæ edito Cap. V. Theſ.

25. XIII. Non dicam quales olim hodieq; pugnas infallibilitas, quam vocant Romani Epiſcopi, inter Jeſuitas & Sorbonæ Pariſinæ Theologos excitaverit, quid de

(a) pag. 452.

de attritionis, sine dilectione Dei efficacia iidem Jesuitæ docuerint, quam litem cùm plurimi illis moverent, Alexander VII. A. C. 1657. ut nodum Gordium Alexander Macedo masculè discidit totâ scilicet controversiâ in medio, ut solent relictâ; De quibus dextrè & accuratè Nicander Hoheneggius, aut quisquis sub nomine hoc latet in Historia Papatus nuperrimè edita egit. Quietistæ, post controversias de cultu B. Mariæ superiori decenniô in Belgiô & Galliis agitatas agmen claudunt, recentissimi morum scelerumq; Italicorum repurgatores, qui cum caput & ducem familiæ suæ Ludovicum Molinosium, Hispanum Sacerdotem æternô carceri damnatum in persecutione Romanâ 1686. amiserint in Hispania tamen & Italia purpuratis quibusdam Romæ proceribus tectè sufflaminantibus, passim adhuc pullulant. 26.

II. Sed quorsum hæc disputo? non ut inani quadam opinione deceptus, ut fieri ferè solet proœmium operis longius 1.

pro-

protraham quàm instituti mei ratio permittit: sed partim ut adversariis ὁμοψηφίαν jactant bus aliquid objiciatur; partim, ut ad præsens negotium via atq;
2. aditus mihi præparetur. Acturus enim sum (quod feliciter vertat æternum Numen!) de Claudio Pajonio, recentissimo in Galliis novatore ejusque sectatoribus, qui viginti abhinc annis inter Reformatæ Gallicæ Ecclesiæ addictos, quos Hugonotas vocant, & ipso etiam Belgio, plurimas subinde turbas dede-
3. runt. Quam in rem ut summo studiô ac labore inquiramus movere nos poterit sanctissimi Servatoris edictum, [a] Pseudoprophetas cane pejus & angve vitandos esse, jubentis, quod fieri tamen non poterit, nisi in eorum opinionibus curatiùs; paulô digitum intendamus.
4. Impurus ille spiritus, dicente B. Luthero, (b) *nunquam niger, sed albus semper videri vult*, adeoq; angelum (c) Lucis se esse fingit; detegenda ergò hæc fraus est,

(a) *Matth* VII, 15. (b) *Comm. in Epist. ad Galat.* (c) *1. Cor. XI*, 14.

est,& quod angvis sub herba lateat liquidò demonstrandum. Quod dum facio, 5.
DEUM precor, Patrem Luminum, ut menti meæ caliginem, æternò illò & splendidissimò Lumine illustrare velit, quò Apostolorum olim corda cœlitus donavit, ut vel hâc ratione veritas inviolata conservetur, eiusque æternæ Majestati debitus honor deferatur. Postremò cum B. Epiphanio (a) Θεὸν τὸν ἀεὶ βοηθὸν ἐπικαλῶμεν τὴν αὐτὸν ποιήσασθαι ἐπιμέλειαν, καὶ τῶν βλομένων τοῦτο τὸ ποίημάτιον τυγχάνειν εἰς ἴασιν τῶν δεδειγμένων καὶ εἰς διόρθωσιν τῶν μὴ ἐν κακοῖς ἔτι ἐξεταζθέντων. (b) Ἁγίασον ἡμᾶς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου. Ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι.

III. Jam, ut omnis controversia aptius dijudicetur, tria præsertim facienda hic esse judico: primò ut Pajonissæ Historia breviter recensetur, tum ut dogmata eorum atque opiniones proponantur, ac tandē, quomodo τῇ ὑγιαινούσῃ 1.

(a) Tom. II. Lib. II. adversus Hæreses.
(b) Joh. XVII, 17.

ὑσῃ διδασκαλίᾳ adversentur, summa-
2. tim ostendatur. Auctorem hujus Sectæ fuisse accepimus Claudium Pajonium, Aurelianensis apud Gallos Ecclesiæ Calvinianæ Ministrum, *virum de causa reformata adversus Pontificios publicis etiam scriptis optimè meritum*, dicente Frider. Spanhemio, (a) summô denique ingeniô & præclarâ eruditione Gallis notis-
3. simum. Claudius ille Bituricensis, aut Romorantinus, (nam utrumque illi tribuitur) in Galliis natus Salmurii sacris literis operam dedit, præceptorem nactus acutissimô ac eleganti ingeniô virum Mosen Amyraldum, sed opinionum novitate Calvinianis in Belgio exosum, sub cujus præsidio de necessitite Baptismi, ut & de ministerii verbi divini necessitate sub Ludovico Capello Salmuriensi Theologo publice, ni fallor, disputavit. Quô factum est, ut ab ipsis etiam Calvinianis ex Amyraldi Universalismo enatum hoc dogma videatur, notante Leydeckerô, in præfat. Tom. I. veritatis

(a) *In Elench. select. Controv. de Relig.*

tis Evangelicæ Triumphantis. Sanè 4.
cum nimiam, quâ præditus erat subtilitatem, & hypotheses præterea Amyraldinas ad articulos Theologiæ totius longè difficillimos, de providentia, prædestinatione, & conversione hominis attulisset, inventurus, ut sperabat, Systema, quô fretus Pontificios firmiter oppugnaret, in absurdissimas opiniones delapsus est, adeò ut tum particularem Dei concursum ultrò negaret, tum in ipso conversionis negotio homini satis virium tribueret, quas sufficere putabat ad salvandum etiam hominem, si ideæ solum rerum divinarum per verbum rationi offerrentur, eaq; impedimenta, quæ ex corporis δυσκρασία oriuntur prius removeantur. Qua in re, 5.
si summam totius negotii spectemus, plus simplici vice Pelagianorum pestilentissimum dogma secutus est, ita tamen ut Pelagii duritiem in quibusdam emolliturus, ad Semipelagianorum castra sæpius accederet.

IV. Semina hujus suæ opinionis r.
inter

inter Hugonotas frequentissimè sparsit anno circiter 1676. & quod excedit, ingente novarum opinionum cupidissima majorem, quàm credi potuit adstipu-
2. lantium numerum fortitus. Pontificiis interim gratissima hæc occasio erat, quâ ad dissensiones inter Reformatos spargendum passim uterentur, quorum superioribus annis internecionem sævissimam, mœsto, ut homines decet, animo spectavimus; unde tantùm abest, ut Pajonio masculè se opposuerint, & nascentia adhuc zizania, quod fecisse se gloriantur, oppresserint; ut errantium potius commoda fraudulento consilio occulte promoverent. Sperabant enim,
3. (id quod eventus rerum comprobavit) futurum, ut diruptô inter illos concordiæ vinculô omnibus adversariorum insultibus ultrò paterent.

1. V. Pajonio interim fortiter se opposuerunt viri, quorum inter Reformatos illustre nomen & auctoritas maxima erat, Johannes Claudius, Ecclesiæ Charentonensis Minister, qui patriâ exul

A.C.

A. C. 1687. Hagæ Comitum diem obiit, & Petrus Jurius Professor Theologiæ Sedanensis, hodiè apud Genevenses, ni fallor, eodem munere fungens, aliique quorum septem præcipuè Pajoniani suspectos habuêre, Ecclesiastæ, quorum nonnulli privatim ab initio Pajonium, ne calumniandi occasionem adversariis præberent, monuêre, parati publicis etiam scriptis dum in Gallis adhuc essent, idem præstare, nisi provincialis Synodi operâ corrigi illum & ad viam Regiam reduci posse, credidissent. Cæterùm Claudii operâ effectum est, ut pactis invicem constitutis sopitam esse hanc controversiam plerique autumarent. Sed laterem lavâsse concordiæ studiosos eventus rerum docuit, nam cum ad hypotheses suas Pajonius rediret, factum est, ut à Synodis quibusdam Gallicanis A. C. 1677. congregatis publicè rejicerentur, quod subdolè tamen & septem (a) Ministrorum Pajonio infensissimorum ope factum esse auctor speci-

2.

3.

(a) *Essais de Theologie Part. III.*

4. speciminis Theologici jactat. Et hæc adeò ad Pajonii usque obitum, qui Gallicam persecutionem anteceſſit, rerum facies fuit. Nam cùm ille vitâ deceſſiſſet, mutatum in pejus totum negotium eſt, Papino Pajonii nepote & aliis ſtrenuè rem promoventibus, qui opiniones Pajonii ſatis noxias non retinuêre ſolum, ſed peſtilentiores inſuper ex ingenio, ut fieri fere ſolet, adjecêre, ut ex totius operis connexione luculenter conſtabit.

1. VI. Deniqve cum A. O. R. 1685. immani Pontificiorum conſilio & inauditâ crudelitate, Hugonotæ, Galliarum regnô excedere, aut priſtinis ſacris nuntium mittere cogerentur, factum eſt, ut unà cum iisdem Pajoniſtarum qvam plurimi ad Batavos venirent, à qvibus amicè ſuſcepti ſedem ibi fixerunt ſuasqve opiniones identidem ſpargere cœperunt.

2. Qvod ubi obſervatum à Batavis eſt, Gallis etiam, qvi unà venerant, monentibus, repudiare novum hoc dogma juſſi ſunt, qvod eandem in rem Synodus pro-

provincialis Roterodami A. C. 1686 congregata, ut Dordracenorum Patrum Canonibus contrarium, publicè condemnavit, qvâ de re Spanhemius dictô locô videatur. At enim inanis prope- 3.
modùm hæc opera fuit, nam Papinus aliiq; propugnare Præceptoris hypotheſes, qvàm ejurare maluerunt, emiſſis in publicum, ſuppreſsô tamen nomine ſcriptis, qvibus dogma ſuum in Britannia fautores inveniſſe, & à compluribus avidè recipi gloriantur, qvod Jurius tamen Socinianorum exemplô idem falsò affirmantium adductus negat ac pernegat. In Germania autem ſuperiori Pa- 4.
joniſtas dari Libri qvidam hujus generis indicant Francofurti ad Mœnum à Friderico Arnoldo typis expreſſi, niſi fictum utrinqve & urbis & officinæ nomen eſt, ut Clariſſimi Act. Erudit. Lipſienſ. Editores judicant. (a)

VII. Adſcripta deniq; qvod attinet, 1.
qvæ ab utraq; parte in publicum emiſſa
ſunt

(a) *Ad Ann.* LXXXVIII. *Menſe Novembr. pag.* 602.

sunt, exiguum eorundem numerũ sponte qvidẽ deprecamur, cùm hanc in rem pauciſſima typis exſcripta proſtent, (nam in Galliis nihil, nec in Belgio ante Ann. LXXXIV. quod ſciam, editum quid eſt & plurima inſuper huc non delata planè nos fugiant, quorum numerum pace CL. Auctorum ex Actis ſupra citatis ſupplere, libris ſparſim collectis licebit. 2. Pajonius ipſe hâc in controverſia nihil publicis typis exſcriptum reliquit. MSta tamen ejusdem ſatisfacere hic poterunt, quæ magnô numerô Spanhemius in Elencho Selectiorum 3. Controverſiarum adducit. Fortius rem egit Papinus, Pajonii ex ſorore nepos, qui A. C. 1684. Libellum edidit Gallicum, *Criticam doctrinæ Jurii de gratia immediatâ* (*Critique de la doctrine de Mr. Jurieu*) vocat, qvô Jurium Pajonianis infenſiſſimum ſponte laceſſit, & quid ſub dogmate iſtô lateat prolixè prodit. 4. Jurius ergò ne victas manus Papino dediſſe crederetur, licet pugnam cum tyrone ſuſcipiendam ſemper repudiaret, obli-

obliquè tamen, sed dato negotio; Pajonistas, quos suppresso nomine Novatores vocat, libro Gallico oppugnavit, quem *Judicium de methodo rigida & laxiori in explicanda Gratiâ & Providentia DEI, ad inveniendum medium reconciliationis inter Protestantes A. C. & Reformatos* (*Jugement sur les methodes rigides & relaxées à expliquer la Providence & la Grace*) appellat, A. C. 1686. Roterodami edito. Idem Jurius *Tractatus III. de natura & gratia, sive de concursu generali providentiæ divinæ & particulari gratiæ efficacis, adversus novas Hypotheses P. & ejus discipulorum* (*Traitté de la nature & de la Grace, contre les nouvelles Hypotheses de Mr. P. &c.*) *conscripsit*, & Roterodami 1688. edidit, quorum primo concursum providentiæ, secundo specialem concursum Gratiæ contra Pajonium defendit, tertiô de rigida methodô secundâ vice agit. 5.

Vix hæc ad prælum devenerant, cùm Papinus pessimâ Typographi fide Jurii librum nactus, priusqvàm in publicum prodiret, *Specimina Theologica de providentia* 6.

dentia & gratia (*Essais de Theologie de la Providence & de la Grace*) confecit, Francofurti 1687. sine auctoris nomine edita, ut adeò refutatio Librum Ann. 1688. demum editum aliqvot mensibus anti-
7. cipaverit. Totum illud Speciminum opus tribus partibus absolvitur, qvarum prima Jurii librum de methodo rigida & laxiori, altera Tractatus de natura & Gratia nondum tunc editos reprehendit, tertia Richardi Baxteri Theologi Angli Presbyteriani, idem Durandi aliorumqve Philosophorum
8. consensum prolixè jactat. Noluit cum tyrone denuò congredi Junius, veteranus in hoc pugnandi negotio miles, cui contemptum inde suum generosô silentiô declaravit; Nihilominus succenturiatorem nactus est, satis ut appareret strenuum Anonymum qvidem, sed qvem Arbussum vocari subjunctum o-
9. peris præfationi nomen ostendit. Is enim editô Hagæ Comitum A. C. 1689. librô, qvem *Veram Ideam Gratiæ immediatæ, sive Responsionem ad Papini Criticam*

ticam D. Jurii de habitibus infusis & gratia immediata (La Juste idée de la Grace immediate, ou Réponse à la Critique de la doctrine de Mr. Jurieu) vocat, Pajonianos apertâ fronte oppugnavit. Prætereà 10.
de eadem re complura inveniri poterunt in Frider. Spanhemii junioris Selectione de Religione Controversiarum Elencho &c. insertis disputationibus, quæ sunt hujus temporis, Lugduni Bat: A. C. 1687. Franc: Turretini, Theolog. Professoris & Pastoris Genevensis Theologiæ Elenchticæ Parte II. Genevæ 1682. edita, itemq; Leydecker. in Præfat. ipsoque Tomo I. veritatis Evangelicæ triumphantis. Dicitur etiam Joh. Claudius in hoc negotio aliquid literis consignatum reliqvisse, si auctori veræ Ideæ credimus, qvod ad nos, quod sciam, nondum pervenit.

VIII. Sequitur, ut ex positis Pajonianæ sectæ fatis, ea, qvæ minus ortho- 1.
doxè Pajonius & ejus discipuli docuerunt, ordine ostendamus. Qvod dum 2.
agimus, nemo, arbitror, à nobis desidera-

 rabit,

rabit, ut, qvoniam Calvinianis sese annumerant, omnia ea, qvæ ab illis τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ (a) contraria docentur, datâ velut operâ huc trahamus. Habemus enim summorum hac in re Theologorum opera, inter quæ Senneccerі Calvinus redivivus, Heilbrunneri Synopsis doctrinæ Calvinianæ & Svenkfeldio-Calvinismus, Simonis Gedicci Religio Calvinistica, Ægidii Hunnii Calvinus Judaizans, Conr. Schlusselburgii Teologia Calvinistica, Henr. Eckarti Fasciculus Controversiarum, Georgii Nigrini Anti-Calvinismus, Joh. Gisenii Calvinismus, Graweri Absurda Calvinistica, Hülsemanni Calvinismus irreconciliabilis, Dannhaueri Hodomoria Spiritus Calvinіani præ ceteris eminent,

3. Idcirco temerarium, credo, & hellebоro dignum esset, post messem demùm a tantis viris confectam, spicas legere & ἐπιδορπισμὸς, ut cum Athenæo loquar planè supervacaneum instituere. Ipsam potius rem aggrediamur ope atque auxilio

(a) 2. Timoth. IV, 3.

xilio Sanctissimi Conditoris Pajonianum γλάυκωμα breviter detecturi. Pajo- 4.
nius ergò, (ut de ipso prius auctore multùm discipulis saniore agamus) duabus potissimum hypothesibus Theologiæ suæ systema superstruxit, qvibus postmodum ejus secta ores ad varia fingenda miserè abusi sunt. Harum hypo- 5.
thesium una circa eam Theologiæ partem versatur, quæ Theologia, vocabulô ἰδικῶς sumptô, aut θεοσοφία appellatur, deumq; & res creatas nullô ad lapsum habitô respectu sed ad solum Conditorem relatas considerat; altera ad οἰκονομίαν salutis nostræ, eamq; sacræ paginæ partem, qvæ de lapsu & reparatione humani generis agit potissimum refertur.

IX. θεοσοφίαν igitur à mendis repur- 6.
gaturus, qvod facturum se credebat Pajonius, hypothesi seqventi usus est: Deum scilicet in prima rerum omnium creatione hujusmodi vires rebus creatis indidisse, qvibus sine ulteriori ἀμέσῳ Dei concursu actiones naturâ sibi debitas edere possent. Qvocirca concur-

sum DEI ἄμεσον & proximum prorsus negavit; nihilominus tamen ab Epicureorum & Atheorum, aut eorum qvos Deistas hodiè vocant, idem asserentium infami consortio ideò excludendus, ἔμμεσον sive mediatum concursum validis interim argumentis adstruxit. Quamvis non citra rem mediatum etiam concursum Jurio aliisq; negâsse dicitur; cum concursûs ἀμέσου negatio, ἔμμεσον qvoque, (talem scilicet qvalem Pajonius intelligit,) facilè evertat. Asseruit igitur ille olim, & hodie asserunt ejus sectatores creatas res omnes & singulas ratione essentiæ qvidem & existentiæ omnino à DEO dependere, sed qvod ad actiones earum attinet, dependentiam hanc actionum immeditam & proximam esse negant, ultrò affirmantes, remotam eam & mediatam esse, cùm à primo motore per impressionem facultatum & virium agendi in prima productione inditarum derivetur, teste Jurio in Tractatu (a) de natura & Gratia, Ra-

2.

3.

(a) *Tract.* I. *Cap.* I. §. 4.

Rationes sententiæ hujus suæ nullas af- 4.
fert Pajonius, cùm & orthodoxam eandem, & Ecclesiæ antiqviori communem, & sanæ rationi non minus convenientem æstimaverit. Id tamen, recensente 5
Juriô, movere plerunque solent, qvod gloriæ divinæ ex Pajoniana sententia multum commodi accedat, cùm longè majus & gravius sit, vim ac potentiam agendi talem producere ab initiô, qvæ sine omni prima causæ adjumento operationes suas sponte suâ edat, qvàm eam procreare facultatem, cui in qvavis speciatim actione concursum ἄμεσον applicare causa prima necessum habeat. Qvod ipsum argumentum ex Durandi 6.
mente ita explicat Svarez: (a) *Potuit*, inqvit, *DEUS efficere, creaturam operantem effectum sibi proportionatum sine ope alterius, cur enim hoc repugnat? nulla sanè apparet ratio aut contradictio: neqve est contra divinam perfectionem aut potentiam, sed potiùs indicat magis potentiam DEI. Nam sicut divinæ potententiæ fuit non so-*

(a) *Metaphys. disputat.* XXI. *Sect. I artic. III.*

lum efficere creaturas, sed etiam eis communicare similem efficiendi vim, ita magis ostenderetur eadem potentia DEI, si suis creaturis possit hanc virtutem agendi completam, & omnino integram communicare: Hujusmodi autem erit, si alterius ope ad agendum non indigeat. Hæc ad explicationem primæ ὑποθέσεως sufficere putamus, cum ejusdem dilucidior ἐξήγησις & refutatio seqventi conflictui reservetur.

X. Seqvitur altera ὑπόθεσις, cui velut στερεώματι si Pajonio credimus, totum Systema Theologiæ Pajonisticæ & ipsa etiam prior hypothesis firmissimè innititur. Ad Conversionis enim negotium non exiguam partem conferri ab ipso homine Pajonius opinatur; ita scilicet, ut Spiritus S. mysteria qvidem salutis in verbo hominibus offerat, ipse tamen nihil proximè efficiat, neqve hominum corda, immediatâ qvâdam potentiâ inflectat, cum verbo divino tanta insit ἐνέργεια, ut proximè & primò per objecta intellectui oblata operationes suas

edere

edere & assensum ac fidem elicere possit, ipse deniqve homo, eâ hactenus capacitate præditus sit, qvâ sine ulteriori ἀμέσῳ DEI auxilio & illuminatione, vi intellectus sani & incorrupti objecta in verbo oblata & per se credibilia apprehendere & fidem habere illis possit. Natæ hinc phrases qvam plurimæ, quæ, 13
licet saniores ab initio videantur, ὑπαλλω
tamen aliqvid dubio proculalunt, qvales seqventes ferè sunt: Operationem Gratiæ in credentibus seu electis esse tantum moralem & rationalem in genere causæ objectivæ, qvâ Spiritus S. agat efficaciter in mentes, eas illuminandô, & in cordâ & voluntates eas potenter inflectendô, sed operatione tantum mediatâ per verbum, ac vi & efficaciâ rationum, motivorum, occasionum, qvæ objectivè offeruntur animæ nostræ in verbo. Qvæ 4.
opinio Pelagianismum, aut ad minimum Semipelagianismum qvandam, apertè redolet. Sanè si rem ipsam, remotis verborum velamentis spectemus, 5.
ἐνεήματι huic tum Pelagianismus inter

Calvinianos Gallos non infreqvens tùm verò præcipuè Carteſiana Philoſophia Idearum homini innatarum propugnatrix locum dediſſe videtur. Nam ex hujus hypotheſibus, qvas Galli hodiè pleriqve omnes mordicus defendunt non potuit non concludere; DEUM in hominum mente non niſi objectivè, per oblationem efficacium rationum operari poſſe, qvam operationem utpote menti & ideis innatis conformem, Angelis etiam & hominibus concedunt. Nam & illi ſi objecta credibilia offerunt movere per intellectum voluntatem hominis
6. poſſunt. Deinde cum rerum omnium ideæ homini connatæ ex Carteſii hypotheſi ſint, qvæ excitari ſolummodò etiam in divinarum rerum cognitione debent, ſatis clarum atqve manifeſtum eſſe putant, DEUM in converſione hominis non immediatè operari, voluntatem & intellectum hominis propriè inflectendò, ſed mediatè per objecta oblata idea connatas & objectis oblatis congruas excitando, adeoq; ex ſpeciebus impreſ-

ſis

sis expressas, qvas Philosophi explicant formandô. Ita tamen ut nec ipse ἀμέσως ideas excitet, sed objecta demum virtute ac ἐνεργείᾳ propria illud præstent, qvæ porro ἐνέργεια in actu constituta à Deo ἐμμέσως solum & remotè dependeat, ut adeò ab omni salutis negotio Deus præses salutis nostræ maximus, qvàm longissimè removeatur. 7.
Unde vel ex eô satis speciosè concludunt, intellectum hominis non purè passivè in conversionis negotio se habere, sed vi atq; ope idearum connatarum recipere objecta & iisdem per se fidem habere, ac voluntatem insuper ex intellectus directione inflecti posse ad appetenda ea, qvæ ideis rerum divinarum à Deo objectivè, (hoc est virtute objecti non propria & efficienti) excitatis congrua sint atqve consentanea. Qvæ si 8.
rectè qvis accurateq; consideraverit, Cartesianas hypotheses, ut hodiè ferè apud Calvinianos, ita & in hac Pajonii Theologia regnum obtinere fatebitur.
Eqvidem si nullô aliô nomine Cartesii 9

Philosophia vapularet, addo, si rationi nostræ omninò conformis esset, qvod tamen ita se habere nunqvam concedimus, hanc tamen ob causam, qvod imperium scilicet in sacra etiam mysteria sibi affectat repudiandam esse arbitror.

10. Non enarrabo prolixè, qvâ ratione Sacræ etiam Scripturæ Majestati & auctoritati insidiati sint οἱ καρτεσιανίζοντες, dum in rebus ad naturam & rationem humanam spectantibus omnem illi auctoritatem detraxêre, (exemplô Christophori Wittichii, cujus dissertationes binæ de usu & abusu Scripturæ in Philosophia naturali in Belgio prodierunt, accuratè à Jacobo du Bois, Ecclesiaste Leydensi refutatæ, qvibus adstruxerunt, Spiritum S. in Scriptura circa res naturales nudam veritatem non velle manifestare, loqvi cum vulgo & secundum rei apparentiam, non secundum exactam rei veritatem: Ipsiusq; Cartesii, qvi: (a) *Nolim*, inqvit, *reprehendere illos, qvi concedunt, DEUM per Prophetam verbale*

(a) *Respons. ad Sect. object. pag. 158.*

bale aliquod mendacium, (qualia sunt illa Medicorum, quibus ægrotos decipiunt ut ipsos curent, h. e. in quo desit omnis malitia deceptionis) proferre posse; id tamen ferendum non esse censeo, nec qvisqvam, credo, cui Theologiæ sacræ ac incorruptæ auctoritas curæ est, feret, qvod communiter hodie à Theologis Belgis καρτεσιανίζουσι asseritur Philosophiam scilicet non Theologiæ ancillam, sed liberam, imò dominam ferè esse, adeò ut hypotheses illi Theologiæ & Sacris literis adversas pro lubitu fingere liceat. Henricus Hulsius Professor Theol: Duisburgensis in libris de principio credendi Lugduni Bat. 1688. editis idem affirmat, (a) qvi primum credendi principium rationem, alterum demum Scripturam esse, Theologiam Philosophiæ famulari, idem (b) Scripturæ auctoritatem & majestatem à ratione dependere confidentissimè contendit. Pauca adhuc dixi, nam & obscuriorem Scripturam & ex ratione sola non ex seipsa ex- 12.

B 6 plican-

(a) Lib. I. de princ: (b) Lib. II.

plicandam, Anonymus qvidam(a) asseruit, ut adeò rogandus maximopere DEUS sit, ut strenuos exercitatosqve viros excitet, qvi ingruenti huic Cartesianismi malo fortiter obviam eant, qvô nomine Joh. Regii Theologi Franikerani, operam meritò laudamus, Libro de modô percipiendi Scripturæ Divinitatem, Hulsium accuratè refutantis. Qvin
13. eousq; processit eorum temeritas ut Philosophiam & rationem Theologiæ dominam esse eiq; imperare ad exemplum Hulsii plures audacter affirmaverint. Nam qvid aliud sibi vult nova illa, qvam Naturalem vocant Religio, cujus appellatione superbè gloriatus post Joh. Hulsium, (b) Henricus Alexander Röellius in Academia Franikerana Professor Theologus? (c) Totâ scilicet dissertatione naturæ & rationis imperium in Theologiam oratoriô more adstruit, nihil credendum, qvod rationi repugnet

(a) *In dissertat. Paradoxa de Philos. Scripturæ interprete.*
(b) *Libr. I. de princip. credendi.*
(c) *Dissertat. de Religione naturali.*

net affirmans. Certos nos esse, inqvit, nihil verum, nedum divinum esse posse, qvod cum innatis & communibus notionibus, atqve adeò rationis dictamine adversâ fronte pugnet. Posse qvidem revelari, qvod rationis captum superet, sed tamen & qvod revelatum sit à DEO ratione dijudicari, atqve adeò, eô sensu fidem ipsius Trinitatis aliorumq; mysteriorum rationis judicio niti & rationalem esse debere. Atqve hinc constare rationis in Theologia usum & auctoritatem, tum ex ipsa experientiâ, tum exemplis Prophetarum aliorumqve, qvæ magnô numero adducuntur. Accedit Latitudinariorum dogma Anglis perqvam familiare, *qvô Christianismus in Naturalismum convertitur* dicence Leydekero in veritate Evangelica triumphante Præf. Tom. 1. Egregios verò 14.
Philosophiæ Cartesianæ fructus! Egregium vero Theologum, qvi Philosophis suopte arbitrio famuletur dignum, qvi perpetuò idearum suarum & rationis siliqvis, non salutari verbi divini pane cibetur!

15. betur! Sed unde hoc insigne καθάρ-
σωμα? Sanè à solo verbi divini neglectu, qvod contemptum ita sui acriter vindicat. Nam *Inculta eorum pauperies* & defectus verbi divini, ut cum Apulejo (a) loqvar, *sine delectu ciborum tenuato ventre, cogit sordentia supplemente &*
16. *dapes* rationes *gratuitas conqvirere.* Ipsæ scilicet Carteſii ideæ tam jejunæ atqve frigidæ mihi videntur, ut parùm absit qvin ejusdem cum animula illa Adriani Cæsaris vagula, blandula, pallidula, frigida, nudula, conditionis, hoc est, aranearum telis non multum firmio-
17. res sint. Nam qvâ, qvæso ratione ideas has innatas sibi credit Carteſianus? certè per aliam qvandam ideam, qvæ reliquarum exiſtentiam univerſim repræſentat. Sed qvid de hoc rurſus idearum univerſali cothurno, fiet? Nam & hæc univerſaliſſima idea aliam ſub qva ipſa ſciatur, ὡς εἰπεῖν, univerſaliorem ſupponit, qvâ ratione res in infinitum ultra Platonis etiam numeros produci

(a) *Libr. IV. Metamorph.*

duci poteſt. En vertiginis ſpiritum!

XI. Sed ut eò revertamur unde ad demonſtrandam Carteſianæ Philoſophiæ ἀπαρμοσίαν, qvam principium Theologiæ Pajonianæ diximus, delapſi paululum ſumus, notamus breviter præſenti huic hypotheſi, omnes Pajonii theſes ſuperſtructas eſſe. Unde juſte eam meritoq; palladium Regni Pajoniſtici, & ἄγαλμα διοπετὲς Act. XIX, 35. appellamus. Inde enim conſtat, concurſum eos immediatum ad actiones rerum creatarũ qvarumvis reqviſitum negare, ut ex data hac hypotheſi ſpecialem etiam influxum ad converſionem non reqviri viciſſim iis largiamur. Qvam obrem, ubi inditas in prima rerum creatione à DEO vires tantas eſſe affirmant, ut ſine ulteriori divino concurſũ operationes ſuas edere poſſint, id evictum volunt, ideas menti primorum hominum in creatione inditas, tantarum virium fuiſſe, ut poſt lapſum etiam apprehendere oblatas res divinas ſive ἀμέσως DEI concurſu potuerint. Qvas poſimodum

ideas-

ideas per generationem, ad qvam DEUS non magis, qvàm ad alias hominis actiones proximè concurreret, contra communem Calvinistarum de ἀμέσῳ animarum creatione sententiam, propagatas eandem potentiam vel hodie obtinere
4. credunt. Hinc ipsi etiam Scripturæ vim ac potentiam in hominum animos objectivè & moraliter agendi tribuunt, qvam proinde facultatem illuminationem Spiritus S. objectivam vocant, aliam qvamlibet ἐνεργητικὴν hypothesi de immediato concursu contra-
5. riam repudiantes. Nolo argumenta hujus rei, qvod facere possem, in præsenti cumulare, nam & ex eis, qvæ postliminio dicentur διαφανῶς id constitutum judico, & ipsa deniqve rerum abundantia breviores nos esse jubet, cùm plura præsertim restent scitu dignissima, ipsumq; adeò Pajonisticæ doctrinæ systema proponendum adhuc & refutandum nobis sit, qvod opus θεῦ ἀμύμονι πομπῇ (a) confestim aggrediar.

XII. Jam

(a) *Homer. Odyss. o.*

XII. Jam itaqve, ut inde ordiamur, 1.
Principium Theologiæ, & speciatim apprehensionis cum Photinianis & Calvinianis antiqvioribus, ut & recentioribus qvibusdam rationem esse statuunt. Quam qvidem Thesin iisdem verbis in Pajonistarum scriptis non facile inveniendam, ipsi nihilominùs verbis ἰσοδυναμοῦσι & hypothesibus suis defendunt. Nam qvid aliud sibi vult Pajo- 2.
niana illa Thesis; Animam nostram utpote rationalem non moveri posse, nisi impressione rationali, qvam ex Pajonii manuscriptis Spanhemius (a) citat, ut & ista: Morali hominis corruptioni morale solùm remedium aptum esse, illuminationem scilicet intellectus qvi verbo divino credat, qvam ex Papini scriptis Jurius adducit. (b) Eqvidem si nihil in 3.
animum hominis agere Deus potest, qvod rationale non sit, sive rationi & naturæ conveniat; si sola porro intellectus illuminatio, qvàm Deus tamen solùm ob-

(a) in Elench. Controvers.
(b) Tract. I. de Natur. & Grat.

objective, ratio recipiendô & applicando producit, ad fidem & conversionem producendam sufficit, κατ' ἀνάγκης, inde sequitur rationem & ideas connatas Theologiæ non principium solum cognoscendi, qvandoqvidem illis demum mediantibus primò cognoscat, sed & essendi ut vocant, imò medium saluti producendæ aptissimum atqve
4. sufficiens esse. Adde, si vires rationis humanæ ad agnoscenda & recipienda fidei mysteria sufficientes sunt, qvod planè atqve dilucidè affirmat Papinus (a) cur non eâdem operâ rationem Theologiæ proprium principium appellare
5. licet? Qvod ut Orthodoxiam διαβρήδην oppugnare confitemur, ita prolixè & ex instituto non refutabimus, qvandoquidem id sæpenumerò accuratissimè contra Photinianos & Calvinianos qvosdam demonstratum dederunt, Josua Stegmannus in Photinianismo Disputat. II. Alphonsus à Castro Lib. I. adverss. Hæres. cap II. Joh. Davenantius in Exposit.

Epi-

(a) in Critica D. Juris.

Epistol. ad Colosſ. Calovius in Syntagm. Part I. Cap. III. Sect. I. Qv. VI. & Socinismo profligato Sect I. Membr II. Qvæst. III. & ex Calvinianis ex parte Joh. Hornbeckius in Socinismo profligato. Lib. I. cap. VI.

XIII. Pergimus ad Locum de Verbo Dei, adeoqve γνῶσιν Theologiæ principium, qvod ad ejusdem cognitionem æqvè ac manifestationem attinet. Esa. HX, 20. Deuter XII, 8. 32. Rom. XVI, 26. II. Petr. I, 21. III, 2. Matth. XV, 9. Col. II, 8, 18. Luc. XVI, 29. Galat. I, 8. Qvam augustissimam & longè nobilissimam Theologiæ partem nostri misèrè deformant. Nam cum viderent ex Systematis sui hypothesibus Pelagianismum satis accuratè deduci posse, & illius simul dogmatis qvod sufficientes in conversione vires hominis intellectui sine ulteriori illuminatione tribuit absurditatem & καχεξίαν animadverterent, neqvè tamen hunc intellectus depravati φωτισμὸν ἀμέσῳ Spiritus S. influxui tribuere vellent, ad Scripturam recurrendum 2.

rendum sibi esse putarunt, cujus in hoc negotiô facultatem impensissimè extulerunt, ut adeò magis verbum DEI, qvam Deus ipse per verbum operari illis videatur. Huic enim Scripturæ, utpote objecto fidei salvificæ, innatis rerum divinarum ideis maximè conformi, tantam ἐνέργειαν & tam sufficientes divinæ auctoritatis characteres tribuunt, ut certitudinem in homine moralem (ita enim loqvuntur) & obedientiam sine novo Spiritus S. auxilio necessariò producat, Teste Jurio in Tract. de Nat. &c (a) Fundamentum hujus suæ θέσεως qvodnam habeant, facilè ex eis, quæ suprà diximus, & addita phrasi, sine novo Spiritus S. auxilio, cognosci posse auguror. Nam & hic Deum in prima λόγῳ προφορικῷ s. verbi sui productione, talem vim atqve ἐνέργειαν indidisse illi statuunt, ut sine immediato ejus concursu, ad operationes sibi debitas producendas aptum natum sit, ex hypothesi § IX. declarata. Cæteroqvin qvid mo-

(a) *Tract. 1. Cap. 1.*

moralis certitudo, qvam tot illi verbis jactant, sibi velit nondum ex asse perspicio, nam & hæc phrasis ex eorum genere est, qvibus ad obtegenda ulcera sua nostri sæpiùs abutuntur; At enim si hariolari nobis licet, dictam ita putarem hanc certitudinem, qvam in hominum animis de rebus creditu necessariis Scriptura producit, non ratione suæ essentiæ aut constitutionis, ac si moralis qvà naturam & essentiam esset, (cùm divina potiùs & spiritualis, non moralis, & Philosophica sive Rhetorica certitudo atqve veritas hic reqviratur, nam moralitatis, qvem vocant actum hic non respicimus;) sed ratione productionis, qvod non physicè & naturaliter, nec ἀποδεικτικῶς & per modum demonstrandi, sed moraliter potiùs ope rationum Topicarum & persvadentium producatur; ipsaqve etiam Scriptura instar moralis causæ, ratione moralis hujus certitudinis se habeat, utpote, qvæ movendo, svadendo & instigandô, non intellectum immutandô aut necessariò demon-

monstrando in certitudinis dictæ productionem influat. Qvæ ipsa tamen vocis acceptio impropria sanè est, nec accurata; siqvidem sola causa princeps propriè esse dicitur, qvæ in Physicam & moralem proximè distingvi solet. Instrumentum morale ἀνυόρως dici ex ipsa voce patet, cum ipsius instrumenti natura reqvirat ut realiter, hoc est, vel *ut virtus, vel ut pars integrans vel alterius loco substitutum qvid ad actionem exsequendam*, teste, B. Hunniô, (a) *serviat*. Addo, si vel maximè id concederem aliqvid tamen ἀπροδιόνυσον ex utraqve parte adhuc seqvi. Nam si ea moralis causa est, qvæ svadendô & permovendô aliqvid producit; eqvidem ipse DEUS, qvod blasphemum dictu, fidei nostræ, & qvod inde conficitur, salutis etiam æternæ moralis solum causa erit, cum svadendo illam & remedia offerendo juxta Pajonianũ à Deo producatur. Deinde nihil obstaret, qvò minus hac ratione, (si moralis causa scilicet causa qvævis

(a) *in Disput. de causis* §. LXXXIV.

qvævis princeps ex Philosophorum mente esset) Verbum Dei princeps fidei causa dicatur, ad qvam tamen producendam unà cum Sacramentis instrumenti duntaxat vice concurrit. Neqve multum emolumenti perditæ huic Pajonii causæ distinctionē Pauli Slevogti(a) Viri Cl. inter causam moralem principalem & instrumentalem, allaturum credo. Nam ex Slevogti & eorum qvibus hæc distinctio placet, explicatione (b) *causa moralis instrumentalis est, qvæ in se non habet, qvô causam Physicam moveat, dum tamen movet, movet acceptô valore à causa principali*; (c) & *principalis moralis, qvæ causam Physicam ad producendum effectum propriâ virtute, vel valore qvomodocunqve movet, ita tamen, ut ipsa in eum realiter non influat?* Sit sanè, hæc distinctio justa, admittatur ex hypothesi, quid inde ad Pajonianos redundabit? Thesin suam pro- 11. 12.

(a) *Syntagm: Disputat. Acad. Disp. VI.* § 14.

(b) § 14.

(c) § 15.

proprio gladio jugulabunt & colore detractô, qvid sentiant, apertè declarabunt. Itane enim DEUM moralem principalem licet causam dicent? cum principalis illa in effectum realiter non influat. Nunqvam, credo tam λευκὰς Φρένας ut Græco Adagiô loqvar, habebunt. ut de Deo salutis principe id af-
13. firment. Verbum autem ex Slevogti definitione nunqvam illi instrumentalem causam vocabunt, cum proprium illud valorem habere, & per eundem movere hominem credant. Ergò
14. principalis erit. Accedit, qvòd hôc pactô, (qvandoqvidem ad qvem vis effectum causa physica s. realis primario in effectum influens reqviritur) intellectus hominis causa fidei, s. certitudinis, & primaria fiat, & ipse adeò homo ad salutem suam plura qvam DEUS aut verbum conferat. Ac hi propemodum fructus moralis Pajonianæ certitudinis sunt, qvæ ad exemplum muris, posteaqvam latebras omnes obstructas animadverterit, miserè capta, & velut

ad

ad revelatam Perſei formam, dicente Euphormione, plusqvam lapides frigore obriguit. Deniqve qvod ad Theſin ipſam attinet, ἀκοντὶ, ut Plinius loqvitur, & multis graviſſimisqve argumentis probarem, ſi opus eſſet, eam ſi non ſemipelagianam, Arminianam tamen & Socinianam eſſe. Ita enim Epiſcopius Arminianorum Patriarcha, (a) *non poſſe non*, inqvit, *etiam irregenitum qvemlibet ſcripturæ ſenſum percipere, eamqve adeò illuminationem* (in ipſa ſcil. Scripturâ latentem) *irreſiſtibilem eſſe*, & Oſtorodus, *craſſè & periculosè eos errare* affirmat, *qvi ſtatuunt, qvod Scriptura S. ſine ſpeciali aliqva interna illuminatione & ſingulari revelatione Spiritus S. nullo modo fidem atq; obedientiam in hominibus operari poſſit.* Nam longè aliter olim hodieq; docent Calviniani doctores, adeò ut plurimi in diverſam longè partē diſceſſerint, verbum in externum & internum diſtinguentes, & externo, tanqvam ſymbolo inter-

15.

16.

C

(a) *Theſ. III. Libri de perſpic. Scripturæ.*

interni ex propria hypotheſi omnem
17. ἐνέργειαν detrahentes. Martinus Bucerus clari nominis inter Calvinianos doctor; (a) *Libenter*, inqvit, *fatemur, DEUM communi Lege verbum externum adhibere ad docendum ſuos, ſed qvod propterà medium & inſtrumentum ſit, qvô detur Spiritus S. & alia DEI dona, ex nullis Scripturæ locis probari poteſt.* Theodorus Beza in Reſponſione ad acta Colloqvii Mompel. (b) ſcribit: *qvod ſermo audientes afficit, non arguit vim ullam aliam ipſius qvæ audiunt vocibus ineſſe, qvàm res illas ſignificare de qvibus dicuntur.* Et: (c) *in regeneratione hominis valdè fallitur, & in Deum injurius eſt, qvisqvis aut hominibus per qvorum os loqvitur, vel ipſi externo Dei verbo, vel Sacrament. ſignis Deum æſtimat vel tantillum divinæ illius ſuæ virtuti hominibus renovandis, & æternâ vitâ in Chriſto ſervandis attribuere.* idem in Explicat: de Chriſtian: Cap. IV. Aphor. IX. Sic Rodolphus Goclenius Calvinianorum

(a) *Super Johann. pag.* 138. (b) *Part. II.*
(c) *Tract. Theolog. p.* 116.

norum Aristoteles (a) *Verbum DEI non efficax esse*, inqvit, *non esse conversionis causam qvâ dicitur, & est sonus evanescens, sed qvâ accipitur & consideratur. Eadem sententia* est Joh. Jacob. Grynæi in disput. de Eucharistia §. 17. & 22. Davidi Paræi in Exegesi doctrinæ Palatinæ, pag. 81. & 82. Marci Beumleri, Rennecheri, Philippi Beutheri aliorumqve. Qvibus Cinglium addimus & Oecolampadium in disputatione Bernensi (b) affirmantes: externo DEI verbo nihil tribuendum esse, sed *intellectum ejus in hominis corde latere, & ibi potius internum occultari verbum.* Qvô locô notatu non indignum videtur Collocutores nostros & Hospinianum dictô suprà citato Pajonianis impensè patrociniari, cum Bernates præcipuè collocutores ideas homini connatas, Hospinianus verò intellectûs humani συνέργειαν non obscure adstruant. 18.

XIV. Petrus Jurius (c) in hoc contra Pajo- 1.

(a) *Problem. Logic. Lib. I. Probl.* 24.
(b) *in Actis Colloqvii.*
(c) *Tract. II. de Natur. & Grat.*

Pajonum negotiô, distinctione inter certitudinem subjectivam & objectivam (qvarum illa in homine, certitudinis divinæ subjecto objecti ope producitur, hæc verò scripturæ fidei objecto inhæret) adhibitâ, respondet, certitudinem illam qvidem objectivam & inhærentem, Scripturæ in primâ promulgatione à DEO inditam, semper ipsi sine Speciali Spiritus S. influxu inesse, eamqvè adeò dependere à DEO in essendo, ut vocant, sicut loqvendi potentia & actus primus in homine; subjectivam autem non nisi Spiritus S. operâ atqve auxilio in homine confici, ita ut ab illo per Scripturam adhæsionis primum certitudo in voluntate, inde speculationis in intellectu producatur.

2. Qvâ in re, si subjectâ certitudine scripturam non planè privat, nec, qvod Arminiani præcipue faciunt subjectivum lumen Spiritui S. ἀμέσως & sine verbo operanti tribuit, aut deniq; Ratthmanniana phrasi, Spiritum S. subjectivam certitudinem inferre in verbum, ac illud

suffi-

sufficienti virtute destitutum elevare statuit) quod ex his tamen ejus verbis concludi non posse sentio, orthodoxè equidem magis & dextrè se explicat, quam Calvinianorum reliqui, quorum verba §. XIII. adduximus, Alii hac in re distinguunt inter certitudinis actum primum & internam persuadendi potentiam, & actum ejus secundum, sive persuasionem actualem quæ tamen distinctio si nucleum spectamus Jurianæ ferè æquipollet. 3.

XV. Nos deniq; ad ψεῦδος hoc Pajonium responsuri, non repudiamus quidem datas ab aliis Gordii hujus nodi solutiones, pauca tamen notanda prius esse monendum ante omnia duximus. Nam 1. primo sonticus is Pajonianæ familiæ error est, quod Deum per negationem proximi & specialis influxus à verbo separant, qui tamen, præterquam quòd ejus objectum & scopus præcipuus sit, per idem quoq; non absens & remotè sed præsentissimus vitam & salutem æternam operatur, dicente Georg. Zæmannô in Papismo (a)

(a) *Articul. de Verbo Dei* §. XXIII.

Sacramentariorum. Siqvidem illi, dum Scripturam ope proximi ac immediati divini influxus operari negant, ipsum qvoqve DEUM verbo suo præsentem esse eâdem operâ inficiantur. Sed longè aliud testantur evidentissima scripturæ dicta, ubi DEUS ad Mosen, divinæ voluntatis interpretem: (a) *Ego in ore tuo ero*, inqvit, *& docebo qvid loqvi debeas*, illudq; aureum Davidis: (b) *Spiritus Dei locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam factus est*, idemqve DEI ad Jeremiam: (c) *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ego te præposui hodie populis ac regnis, ut exscindas, frangas, perdas, ædifices & plantes*, quæ omnia de operatione verbi à DEO proximè dependente clarissime loqvuntur. Porro qvid evidentius Servatoris illo apud Matthæum effato esse potest? (d) *non vos estis, qvi loqvimini, sed spiritus patris vestri, qvi loqvitur in vobis.* Sic Marcus sacer historiographus affirmat,

Deus

(a) *Exod. IV, 12.* (b) *2. Sam XXIII, 2.*

(c) *Jerem. I, 10.* (d) *Matth. X, 20.*

(a) *Dominum simul cum Apostolis operatum esse, ac verbum signis insequentibus confirmâsse.* Negamus porrò Scripturam moralem in hominibus certitudinem producere, qvôcunq; demum modo moralis certitudinis vocabulum intelligatur. Nam & spiritualis ac divina certitudo illa est, nec à persvasione qvadam morali proficiscitur, & ipsa demum Scriptura instrumenti realiter in salutem influentis vicem hic sustinet. Ex qvo constat, qvam iniqvè cum verbo divino Pajonistæ agant, qvi auctoritatem ejus, ut gloriantur, elevaturi, omnem propemodum eversam voluerunt. Eâ enim ratione, concursu divino remoto, scripturâ etiam moraliter tantum agente, id evictum volunt, ipsum omninò hominē conversionis suæ principem causam esse: Adhæc falsò affirmant Scripturā in homine obedientiam necessariò producere, si necessitatis vocabulū eo insensu adhibeant, qvem ipsa rerum verborumq; connexio locum hic

4. 5. 6. 7.

(a) *Marc. XVI, 20.*

habere indicat. Licet enim ambabus manibus largiamur, Scripturæ operationem necessariam esse & ab interna ejus majestate necessariò dependere, si contingenti τὸ necessarium opponatur, negamus tamen scripturam necessariò ex parte objecti in qvod agit agere, si necessitas hominis libertati opponatur. Neqve enim scriptura coactione Physica utitur, qvam nemo hominum evitare possit, siqvidem DEUS ad salutem neminem cogit; sed spirituali potius & ex parte evitabili; qvæ coactio ab ipso Spiritu S. Luc. XIV, 14. Psalm. XLVII, 4. Libera verò Psalm. LI, 14. Luc. I, 74. &c.

9. vocatur. Libera ergò hæc Scripturæ actio est, respectu hominis in qvem agit, libertate recipiendi & non admittendi Scripturæ operationem præditi; necessariam tamen ratione scripturæ a-

10. gentis vocari posse non negamus. Siqvidem & hic homo contradictionis libertatem retinuit, qvâ admittere & non admit-

admittere gratiæ divinæ actiones possit. secus qvam de gratia efficaci & inevitabili Calvinus & ejus socii unqvàm docuerunt. Datur ergò, quod ad Scri- n.
pturæ operationem attinet, necessitas ordinata ex parte subjecti agentis, libertas verò exercitii ex parte objecti recipientis, inde Scripturam necessariò in homine obedientiam producere cum Pajonio absolutè affirmare non licet. Libertatis. hic vocibus utor, qvæ 12.
voluntati propriè competit, nam alioqvin sponte largimur, tantam esse divini verbi ἐνέργειαν ut præfractos etiam & impios homines graviter convincat & ad fatendum vera ea esse, qvæ affirmantur verbo divino potenter cogat. Qvæ tamen intellectus convictio voluntati ut imperet tantum abest, ut reluctante potius conscientia & scientia

dicunt verbi operationem homines repudient, teste B. Caloviô Tom. 1. System.

13. Theol. Qvibus adeò benè accurateq; observatis juxta divinæ veritatis normam solidè affirmamus: (1) Verbum Dei divinâ pollere virtute, non solum objectivâ ad signandum & exhibendum objectivè ea, qvæ Deus scire nos cupit per suggestionem rationum & argumentorum; verum etiam effectivâ ad spirituales actus conversionis & salutis producendos, nec objectivum solum lumen ac certitudinem obtinere, sed subjectivum etiam ad certitudinem subjecto convertendo efficaciter introducendã, ita tamen ut Spiritus veritatis, à qvo Scriptura habet omne id, qvod habet neqvaqvam excludatur, sed proximè ad ἐνέργησιν verbi concurrere credatur.

14. Velut cum B. Calovio loqvar: (a) credimus *Scripturam pollere lumine gratiæ subjecti & principali mentem elevante, applicante, disponente, qvatenus nempe instructa est Spiritu S. non verò ab eodem sejuncta,*

(a) *System. Tom. I. p.* 707.

sta, qvod iisdem ferè verbis B. Hulsemannus (*a*) in opere de Auxiliis Gratiæ, æternitate digno, accuratissimè ostendit.

Affirmamus (II) Deum verbo semper & 15.
ubiqve potentissimè adesse, adeò, ut qvæcunqve agit & operatur Scriptura virtute divina, sed à Deo in ipsa actione dependente agat. Marc. XVI, 20. Af- 16.
firmamus (III.) certitudinem, qvam Scriptura in homine de rebus fidei producit, spiritualem, supernaturalem & planè divinam esse, neqve adeò ex rationis instituto, aut distinctione inter moralem & physicam certitudinem institutâ declarari posse, siqvidem huic distinctioni, si integra dici debeat, tertium etiam membrum, certitudinem scilicet hyperphysicam, sive supernaturalem adjiciendam esse constat. Affirmamus deniq; 17.
operationes scripturæ non contingentes, sed subjectivè necessarias, objectivè liberas esse, cogere illam non physicè, sed moraliter, aut qvod rectius dictum puto, supernaturaliter, omni tamen ex-

(*a*) *Disput. III, Quæst. I. V.*

ternæ coactionis necessitate absolutâ penitus excluſâ.

1. XVI. Neqve verò hic subsistit errorum illud cacoethes, sed plura identidem ἑτεροδοξα, velut fœcundissima mater, copiosè propullulat. Ipsi enim οἱ παιονίζοντες, ne intactum qvicqvam reliqvisse videantur, anteqvam sententiæ hujus suæ patrocinium susciperent, formatis in contrariam partem argumentis, crebris veluti vellicationibus arborem hanc firmaturi ita adversariis omnem ratiocinandi materiam præripi-
2. unt: Nam hæc si ita se haberent, inqviunt, conficeretur inde omnes omninò homines, ad qvos, divini verbi sensus pervenit, hâc ratione ad salutem perducendos, cum scripturæ id efficiendi sine ulteriori Numinis influxu satis virium insit, adeoqve nihil ad DEUM redundet, ad qvem Calvinianorum reliqvi omnem hujus rei culpam audacter referunt, dum absolutô illum decerto reprobâsse qvosdam, omnemqve istis ad gratiam perveniendi viam præ-

præclusisse affirmant. Ad hanc illi 3.
πρόλεψιν ἀνθυποφορᾷ qvadam, recensente Juriô, (a) reqviri, priusqvam Scriptura in homine operari qveat, in subjecto convertendo organorum apprehendentium aptitudinem, locorum item ac disciplinæ, vitæ generis & similes circumstantias respondent. Qvas porro 4.
reqvisitas ad subjecti convertendi ἱκανότητα circumstantias inditas homini, in prima rerum creatione, qvam primam animi qvalitatum impressionē vocant, vi primæ ὑποθέσεως statuunt. Ex 5.
qvô apertè constat, DEUM Pajonianis in toto salutis negotio causam solummodò remotam vocari, utpote qvi cum ex parte verbi sui, per primam, sacræ ἐνέργειας collationem, tum ex hominis parte, per qvalitatum istarum impressionem remotè solum & ἐμμέσως, sensu vocis Pajonisticô agat. Qvod uti 6.
divinam æterni Numinis potentiam ex instituto evertit, ita ejusdē vicissim misericordia ineptô hôc dogmate prorsus labe-

(a) *Tract. I. de nat. cap. I.*

labefactatur, cum omnis æternæ hominum perniciei causa in justissimum scelerum vindicem immeritò rejiciatur.

7. Nam si in prima virium animi donatione, vel impressione, (ut Pajonianâ phrasi, licet minus latinâ, utar) sufficientes atqve æqvales Scripturæ actiones admittendi vires cuivis homini tribuisset; omnes sanè homines (cum verbum DEI æqvâ ratione in omnes agat) ad salutem, pervenirent. At verò, cum omnis culpa ad qvalitates homini innatas, & circumstantias ex æterno Dei προορισμῷ connatas redeat, eccur non DEUS perditionis ac antecedentium malorum causa (qvam phrasin blasphemam bonus qvisqve & γνησίως Christianus meritò abominatur) ex Pajonii sententiâ audi
8. t? Pristinum scilicet Calviniani retinent [adeò

Quô semel est imbuta recens conser-
vat odorem.

Testa diu] neque funestum illud dogma planè rejiciunt, licet verbis istud sæpenumero emolliant

vapi-

vapidoq; tegant sub pectore vulpem,
cum haud difficile illis sit ex qvavis hy-
pothesi, sive Aristotelica, sive Ramæa, sive
Gassendiana, aut Epicureana ex orco re-
vocatur, sive Cartesiana sanctissimũ. Nu-
men malorũ qvorumlibet causam con-
stituere, qvam gravissimam longè injū-
riam, severus ille scelerum vindex seve-
rissimè olim vindicabit. De cætero ne- 9.
gamus causam recepti verbi divini ex
nostra parte, nec ullô qvidem modô
qvalitates & ideas innatas aut connatas
homini circumstantias dici posse. Non 10.
negamus qvidem ordinariè reqviri, ut
homo salvandus rationis usu non planè
destituatur; at enim illos, qvi hanc or-
ganorum recipientium ἱκανότητα ad
conversionem aliqvid conferre ejusq;
causas esse sentiunt, reipsâ arbitror
φλυαρεῖν, ὥσπερ μέλος ἢ ῥύθμον, ἢ ἥθυσ-
μά τι τῷ λόγῳ περιτείνειν προσφέροντας,
ut de Herodoto loqvitur γεώγραφος ὁ
ἀμαθεὼς. Objiciamus in hoc negotio 11.
infantium exempla, qui rationis qvidem
compotes, sed in ejusdem usu nondum
fir-

firmati, adeoq; sine organorum aptitudine veram fidem concipiunt. Sed vereor ne huic etiam exemplo animus Calvini opinionibus imbutus fidem non habeat, siqvidem si Cinglio & Bezæ credunt fidem infantibus ut derogent, necesse est, eum ex hujus assertione organorum aptitudine destituantur (en principii petitionem!) docente Beza Respons. ad Acta Colloqvii Mompelgartensis Part. I. Cinglio in Confess. ad Carol. V. artic. VII. Calvinô Lib. IV. instit: cap. XV. XVII. si Sohnio & Martyri, fidem in potentia objectiva, si Calvino, Ursino, Triglando & Polano fidei remotam potentiam aut ejusdē semen, si Ludovico LeBlanc (*a*) fidem habent, dispositionem solam fidei illis concedant,
12. necesse est. Sed aliud omninò docet Augustana Conf. (Cujus tamen addictos, non variatæ solum ut Galli & Belgæ, sed & invariatæ ut in Thorunensi Colloqvio Poloni qvotidie se jactant) qvæ (*b*) *per baptismum offerri gratiam* DEI *puerosq;*

per

(*a*) *in Thesib. de fide* §. XXXII. (*b*) *Artical.* IX.

per baptismum DEO *oblatos recipi in gratiam*
DEI ex Scriptura accuratè docet. Ul- 13.
timò locorum, disciplinæ, afflictionum,
generis vitæ circumstantias qvod spe-
ctat, affirmamus illas non plus conferre
ad salutem & mysteriorum perceptio-
nem, qvam ad felicem itineris expedi-
tionem, terra cui inambulat homo fer-
tilitas, ambulantis nobilitas & eruditio
aut similes rerum, & personarum cir-
cumstantiæ conferunt, qvæ tantum ab-
est, ut causarum salutis nomine veniant,
ut ne conditionum qvidem, sine qvibus
fieri res non potest nomen mereantur.
Sed ne videantur nostri paulò iniqvius 14.
à Calvinianis reliqvis in articulo de gra-
tia sufficienti recessisse, dum æqvalem fe-
rè Scripturæ *ἐνέργειαν* tribuunt, ita re-
stringunt Thesin hanc suam, ut externam
objectorum fidei in verbo propositionẽ
DEUM ratione electorũ sic dispensare a-
jant; & cum ejusmodi circumstantiis, ut
non possit non afficere rectè dispositorũ
mentem, eorumq; voluntatem in assen-
sum traher, narrante ex MStis Pajonii

Span-

15. Spanhemio. Qvæ ſententia, uti cum reliqvis hypotheſibus διαφανῶς pugnat; (qvâ enim ratione DEUS, reſpectu ad qvosvis electos habitô diſponere verbi ἐνέργειαν poteſt, cum ad qvamvis ejus actionem proximè non concurrat?) ita orthodoxiæ etiam διαῤῥήδην contrariatur.

1. XVII. Petrus Jurius (a) inter alia Pa-
2. joniſtarum ἐπιπλάσματα illud etiam recenſet, qvod Scripturæ duplicem operationem, internam aliam, aliam externam tribuant. Nam internam illos ab externa ita diſtinguere dicit, ut illa fiat, cum audita intus percipimus, attendimus & intellectui meditanda ac judicanda proponimus, id qvod, fatentibus illis, accidat, non ſolum in verbi & dogmatis divini, ſed & humani ſeu Philoſophici perceptione, ubi diſcrimen nihilominus iſtud afferunt, qvod teſtimonium veritatis divinæ ex Scripturis perceptum ac agnitum & circumſtantiæ illæ in prima impreſſione præviſæ accedant.

Qvam

(a) *Tractat. de Natur. & Grat. I. cap. I.*

Qvam distinctionem si ita explicant, ut 3.
externam operationem, eam esse dicant,
qvæ ad sensus externos visum & audi-
tum, imo ad internos etiam vergit, intern-
nam verò, qvæ intellectum & voluntatem
dirigit, nihil eqvidem refragamur, nota-
tô tamen discrimine qvod inter opera-
tionem Scripturæ & dogmatis Philoso-
phici, intercedit, cum hoc intellectum
primo rationum & argumentorum pon-
deribus, illisq; humanis convincat, illa
vero, divinâ scilicet auctoritate pollens
assensum dogmatis non humanâ persva-
sione, sed divinâ Majestate producat,
eaq; ratione voluntatem secundariò in-
flectat. Sed facilè agnoscimus Pajoni- 4.
anum πηνίκισμα talem divino verbo o-
perationem, qvæ in rationum solum-
modò & persvasionum oblatione consi-
stat, tribuens, qvanqvam demirari sat is
non qveamus, cur testimonium divinæ
veritatis differentiam operationum di-
vinarum constituere sentiant, cum vim
illam aliàs & persvadendi ἐνέργησιν te-
stimonium Spiritus S. apertè appellent

ut

ut ex, §. XVIII. luculenter constabit. Cæterum circumstantias illas, qvas in aciem provocant ad discrimen instituendum non est, qvod moremur, qvandoqvidem ad Philosophici dogmatis perceptionē pari negotio applicari possunt, summumqve potius non Scripturæ solum & Philosophici dogmatis, sed operationis etiam verbi divini ac humani discrimen in divina illa sacrarum literarum auctoritate & Majestate consistat, qvæ teste B. Calovio τῷ πάνυ (a) *tanta est, ut hominem ad veritatis cœlestis doctrinam, etiamsi per* λογισμὸς *rationis & erroneam suam conscientiam opinionem contrariam veriorem judicet, amplectendam obliget.*

6. Alioqvin non videmus, qvid Reformatos hodiernos distinctioni huic tam infensos reddiderit, cum nihil ipsi aliud distinctione sua usitatissimâ inter verbū & gratiam operantem internam ac exter-

7. nam efficiant. Ea sanè, qvæ Joh. Prideaux, Theologus Anglus in Lectionibus Theologicis habet, paria ferè faciunt.

Sū-

(a) *System Theol. Tom. I.*

Σύκω μὰ σύκον, ut Cicero inqvit, (a) οὐδὲν ἔτω ὅμοιον γέγονεν, qvam sunt ista Prideosii si pauca excipias Pajonianis nostris. (b) *Gratia*, inqvit, *operans duplex est, externa & interna; externa elucet in publicô verbi ministeriô, svasionibus, correptionibus, minis promissis & hujusmodi: interna verò immediatè à DEO profluit, qvoties, intus cor alloqvitur, intellectum illuminat, voluntatem flectit; affectus subjugat, ut semen fidei & fructum efficacem recipiat. Inculcat hoc multotiès Augustinus, sed præcipuè cap. XXXIV. de Spiritu & litera, &c.*

XVIII. Ex his deniqve concludunt οἱ Παιονίζοντες, Testimonium Spiritus Sanctis, cujus Scriptura sæpenumerô, præcipuè Joh. XV, 26. Rom. VIII, 16. 1. Joh. V, 6. 7. 9. Apocal. XIX, 10. mentionem facit, nihil aliud esse qvam internam & efficacem Scripturæ operationem, qvam ita appellari credunt, non ratione originis ἀμέσου qvod proximô Spiritus S. concursu producatur, sed

(a) *Epist. ad Atticum. Lib. IV. Ep. 9.*
(b) *Lect. IV. num. 6.*

sed qvod ἐμμέσως ac remotè ab illo originem habeat, & mentem Spiritus S. feliciter declaret, teste Junio (a) in opere
2. sæpius citato. Cujus olim sententiæ suæ promachum nacti sunt satis strenuum, Mosen-Amyraldum, Salmurienſem Theologum μάλα ἀκριβέστατον, virum feliciſſimæ indolis, sed ex summorum hominum genio ad nova nunqvam non proclivem, qvi hanc opinionem suam in dissertatione gemina de Testimonio Spiritus S. in Systemate Disputationum Theolog. Salmurienſium (b) prolixè exposuit, verbis licet paulo tectioribus,
3. Totâ scilicet dissertatione evincit Testimonium Spiritus S. non fieri ad modum argumenti, nec in persvasione causæ nescia, sed in illuminatione intellectus, qvò divinitatem Scripturæ agnoscere possit consistere. A deoq; Scripturæ totam sui auctoritatem spiritui sancto illustrationem solam ad agnoscendam auctoritatem ab Amyraldo tribui, patet ex

(a) *Tract. 1. Cap. I.*
(b) *Part. I. Disp. XI. XII.*

ex ejus verbis; (a) *Cæterum*, inqvit, *argumenta, quibus Scriptura divinitatem suam ostendit, appellari posse Testimonium Spiritus DEI, qvia tantam assensionis firmitatem pariunt, qvantam gigneret ipsius* DEI *vox, si eodem modò, qvò olim dilectissimo filio, sic Scripturæ Sacræ è cœlo edita testimonium perhiberet*, & inferius: (b) *Qvapropter*, ait, *eò tandem aliqvando deveniendum est, ut statuamus, testimonium Spiritus internum & privatum situm esse in vi qvadam cœlesti atqve divina, qvæ mentem sic illustrat comparatqve, ut sit idonea, qvæ divinitatem Scripturæ in ipsa Scriptura certissimè pervideat.* Porro (c): *Qvænam*, inqvit, *vis illa Spiritus, nisi qvæ mentem afficit ita, ut possit de discrimine (Scripturæ & aliorum librorum) sufficienter judicare? Juxta id qvod docet Apostolus* 1. *Cor. II*, 14. 15. & aliò loco: (d) *Qvum igitur Scriptura sit ejusmodi, ut undiqve divino qvodam lumine circumfulgeat, nihil supereſt, ut pro eo ac decet regnet in animis hominum, nisi ut hominibus ea facultas* 4.

(a) *Disp.* XI. §. III. (b) §. XVIII.
(c) §. XIX. (d) §. XXII.

cultas indulgeatur, pro qva lucem illam divinitatis usurpare possit, aliaq; qvæ ibi habentur qvamplurima qvibus prolixè evincit, Testimonium Spiritus non aliqvid distinctum, sed idem cum interna verbi auctoritate & Majestate esse. Idem in Thesibus de Auctoritate Scripturæ dilucidè: (a) *non aliunde sciri*, inqvit, *verbum DEI scripturâ contineri, qvam ex ipsa*
5. *Scriptura.* Qvæ verba uti obtecta magis & obscura sunt; ita sæpiu-culè etiam ab ipso Amyraldo limitantur, ita tamen ut ad Pajonii hypotheses datâ limitatio-
6. ne applicari qveant. Licet enim in eo à Pajonio differre videatur, qvod illuminationem intellectus immediato Spiritus S. auxilio, ille mediato & per Scripturam facto tribuit, re ipsa tamen idem
7. omnino statuit. Sanè illuminationem illam, qvæ intellectum perficit, ut Scripturæ divinos characteres agnoscere & fidem illis habere possit, Spiritui S. non ἀμέσως, sed ἐμμέσως agenti Amyraldum tribuere patet, dum ex (a) ipsius hypo-

(a) §. LXX. (b) Disp. IX. §. XVII.

hypothesi, qvæ non verosimile esse dicit, DEum in hominum mentibus fide imbuendis adhibere methodum naturæ minime consentaneam, h. e. immediatam & ἐνεργητικὴν objecto omni remotô, dum ex aliis ejus dictis, ubi Fidem, qvæ certitudinem de Scripturæ auctoritate apprehendit (a) *partim ἔκτασει, sive amplitudine atq; perspicuitate cognitionis earum rerum qvæ sunt in objecto; partim ἐπιτάσει consistere* ait, & addit: *ἔκτασις autem certè pendet, ut maximè ex objecti ipsius revelatione.* Idem de fidei productione 8.
cujus principium Testimonium Spiritus S. est ita loqvitur: (b) *Qvando igitur credere nihil aliud est, qvam esse persvasum* (id verò negamus ac pernegamus) *de veritate alicujus rei, non alia de causa credimus, nisi qvod veritatem in objecto fulgentem cernimus apertè, & alias illas ideas, qvibus diximus Evangelium esse designatum agnoscimus, & qvales sunt in se tales eas pervidemus.* Addo dicta & oracula, qvorum ex sacris literis, ad probandam

D illu-

(a) *Thes. de fidei natura* §. XVIII.
(b) *Thes. de fidei causa effic.* §. XVI.

illuminationem suam magnum numerum habet, talem mentis illustrationem, qvæ mediante Scriptura fit in dicantia, e. gr. Joh. VI, 45. 46. Jer. XXXI, 33. 2. Tim. II, 25. præcipuè verò oraculis Actor. XVI, 14. qvod eandem in rem in Thesibus de fide, causa effic. § XXXVII. adducat. Hæc Amyraldus, qvem suppresso velut nomine refutat Theologus Gallus Sedanensis Ludov. Le Blanc. cujus verba cum ad amussim rem exprimant adjicere hic placuit: (a) *Ut toti Scripturæ*, inqvit, *ceu divinæ sicut meretur firmiter & certò credamus, præter actionem illam Spiritus S. aperientis mentis nostræ oculos ad lucem in S. Scriptura fulgentem, necessarius videtur internus qvidam ut sic dicam impulsus & instinctus, qvô nos ad credendum moveat vi qvâdam qvæ sit omni argumento & ratione major. Et instinctus ille est, qvem propriè, persvasionem Spiritus intrinsecam & internam Spiritus S. testimonium intelligi debere putamus.* Nos verò ne in Arminianismum prolabi videamur primò omnium

(a) *Thes. de Auctor. Script. Part. III. §. IX.*

mnium accuratum discrimen inter in-
ternum sive immediatum & externum
ac mediatum Spiritus S. testimonium in-
stitui postulamus. Eqvidem externum 12.
illud spiritus testimonium, qvod per si-
gna externa editur sunt efficaces illæ &
divinæ verbi affectiones, qvas ratione
Scripturæ denuò in externas & internas
tribui liqvet, ut adeò per externas, κρίτη-
μα ex antiqvitate, sermonis Majestate,
conformitate perpetua, prædictorum
eventu &c. petita, per internas verò in-
trinseca illa Scripturæ Majestas atqve
efficacia intelligatur, qvam extrinsecam
rationem sub qva credimus B. Hülse-
mannus (a) ὁ πάνυ appellat. Media- 13.
tum illud vocamus, qvandoqvidem non
primariò sed secundariò & qvatenus ab
interno testimonio dependet, fidem pro-
ducit. Unde denuò vapulat cum Pa-
nio Amyraldus, qvi notas certas & indu- 14.
bitatas originis cœlestis in Scriptura &
Spiritum Sanctum in ea loqventem

 testi-

(a) Brevior extens. Supplem. cap. I. IV.

testimonium externum vocat, idemq; Pajonius, (a) qvi ipsam Scripturæ ἐνέργειαν, sive operationē efficacem in actu secundo, non ἐνεργειαν sive operatianem efficacē in actu primo pro testimonio Spiritus S. habet, cum illa tamen, utpote divini testimonii effectus sui ipsius causa esse nequeat. Internum verò & immediatū Spiritus testimonium est auctoritas Dei revelantis & obsignantis, ac divina convictio assensum conscientiæ producens. Unde Johannes: (b) *Spiritus* S. inqvit, *est, qvi testificatur, qvod Spiritus sit veritas.*

16. Accuratè igitur cum B Gerhardo duplex Testimonii Sacri ratio habenda nobis est, tum ratione nostri, unde internum in homine testimonium, tum ratione Scripturæ, qvæ testimonium extra nos positum perhibet, cum interno à qvo dependet semper interim conjungendum.

17. Itaqve B. Gerhardus accuratus Theologus accurate de interno loqvens, (c) *Spiri-*

(a) *Disput. I. de Testim. §. III.*

(b) 1. *Joh.* V, 6. 9.

(c) *In Exegesi Articul. Loco I. Cap. III. n. 36.*

ritus S. inqvit, *ut reddat testimonium Spiritui credentium, qvod sint filii DEI, Rom. VIII, 16. ita qvoqve efficaciter, eos convincit, qvòd in Scripturis vox patris cœlestis contineatur, ac solus DEUS est idoneus & authenticus testis. Ad hoc testimonium pertinet vivus piorum sensus in qvotidiana invocatione & exercitiis pœnitentiæ ac fidei, virtus consolandi & roborandi animum adversus omnis generis adversitates, tentationes, persecutiones &c. qvam in lectione & meditatione Scripturæ qvotidie experimur.* Hæc habui qvæ de difficillimo hoc & à paucis explicato fidei articulo in medium proferrem, uti, cum argumentorum suorum è contrario copiam nobis adversarii non facerent, ipsâ divinæ veritatis cognitione convincerentur.

XIX. Περοίμιον doctrinæ Pajonianæ vidimus, nunc ad ipsum fidei caput de DEO ejusqve actionibus, (a) *totius scilicet Scripturæ centrum, nucleum Theologiæ, ac scientiæ & desiderii nostri terminum*

(a) *Exegef. Articulorum Loc. II. Proëm.*

dicente B. Gerhardo, veniendum nobis est, ubi non sane difficile demonstratu ex Pajonianæ doctrinæ Synopsi futurum nobis esset, Deo ab illis omnipotentiam ob negationem concursus ἀμέσου prorsus
2. denegari. At enim, cum hujus rei postliminiò mentionem facere constituerimus, aliarum potius Thesium, qvarum ratio habenda nobis est, διαίσκεψιν aggredimur. Unius solum in antecessum cura habenda nobis est, ne rerum abun-
3. dantia in seqventibus obruamur. Idcirco affirmamus sanæ de omnipotentia Dei doctrinæ repugnare Thesin illam Pajonianam: *non posse DEum in intellectum hominis agere, nisi per ideæ productionem, qvam* ex Papini (*a*) scriptis Jurius citat. Qvâ in re ne Andabatarum more cum adversariis decertemus, productionem hic intelligi notamus non primam, sed secundam, qvam vocant, sive innatarum idearum excitationem. Hæc enim est illuminatio illa Amyraldi ad verbi operationem reqvisita, qvam per idearum

(*a*) *in Critica Dr. Jurii.*

idearum excitationem ipse propemodum exponit. Ideæ scilicet, qvarumvis rerum, ut ex Carteſii hypotheſibus conſtat, non in ipſa rerum cognitione primò producuntur, ſed connatæ homini & tamdiu qviescentes, usqve dum objectum ſibi homogeneum adipiſcantur, produciq; adeò à Deo dicuntur, qvando per objecti oblationem excitantur & intellectus operationi objecto applicantur. 6. Neqve enim Platonicas hic ideas intelligunt, qvæ extra intellectum hominis conſtitutæ exempla rerũ qvarumvis præbentes, *qvas nec habemus, nec apud nos ſunt, nec earum cognitionem obtinemus*, dicente (a) Platone Φιλοσοφωτάτω; ſed ſpecies qvasdam intelligibiles, ut vocant, & ſemina qvaſi rerũ, qvæ illô modô cognoſci poſſunt in mente latentia, ac per objectũ excitanda, adeoq; qvalitates intelligibiles non Logicas, qvæ idearum effectus ſunt, aut ſaltim ideæ in actu conſtitutæ vel ſpecies expreſſæ, ſed Metaphyſicas reales & impreſſas, omnis veluti cognitionis, baſes

(a) *in Parmenide.*

ſes & fundamenta. His proinde ſolum ideis ut in intellectum agat Deus, neceſſe eſſe negamus, eamqve aſſertionem divinæ omnipotentiæ contrariam, minimeq; ferendam pronunciamus. Primò enim nihil obſtat, qvô minus, ſi velit, Deus immediatô qvôdã & efficaciſſimô infuſæ operationis modô movere intellectum in ſacris etiam rebus poſſit, cum nihil illi factu impoſſibile Luc. I, 37. ejusq; potentia ac virtus ſupereminens ſit Eph. I, 19. Sanè, qvi innovare (a) Saulis cor, novamqve illi mentem concedere, ſine inſtrumento intermedio potuit, is idem in aliis præſtare poterit. In Infantibus clara res atqve expedita eſt, fidem in illis à Deo excitari ideis, ſine utpote nondum firmatis, ipſô Carteſiô teſte nunqvam productis. Nam & idearum excitatio ex illorum hypotheſi abſolutè & ἀμέσως Deo non competit, & earundem inſuper integritas ac paſſio excitationem admittendi potentia à ſanæ rationis uſu dependens reqviritur, qvam ſanè in infantibus dari ad Græcas

(a) 1. Sam. X, 9.

Calen-

Calendas affirmabunt. Taceo totam i-
dearum methodum obscuram, incertam
ac dubiam esse, ipsiq; humanæ rationi
prorsus repugnare qvod supra §. X. de-
monstratum dedimus.

XX. De Scripturæ operationibus, e- 1.
jusdem certitudine, & idearum produ-
ctione, qvæ maximè mihi videbantur
necessaria, & à qvibus essent oppugna-
tæ, & qvæ orthodoxiæ cumprimis con-
veniant, explicavi; Jam ergò ad sce-
ptrum illud regni Pajonistici secunda-
rium doctrinam scilicet de providentia
& concursu Dei pergo, de qvô seqven-
tem fere in modũ nostri sermocinantur: 2.
Deus inqviunt, (a) fons & origo hujus ma-
chinæ, cum in actu voluntatis & signo ra-
tionis suæ mundi creationẽ decrevisset,
in tempore eam exsecutus est; talemq;
machinam produxit, qvæ nobilitate & e-
legantiâ suâ conditoris summi gloriam
manifestaret. Unde generalem illi & præ-
stantissimum motum impressit, ad finem
usqve orbis duraturum, cujus virtute

(a) §. Jurius Tract. I. de natura & Gr. Cap. 1. §. 4.

4. instrumenta qvavis, tam rationalia qvàm irrationalia moveantur. Ac proinde res creatæ omnes actiones suas edunt ope illius efficaciſſimæ virtutis primò illis inditæ ac propagatæ ſine ullo immediato & proximo conditoris concurſu, qvem influxum alii vocant, concurſu tamen remoto per productionem primævæ virtutis neutiqvam excluſô.

5. Ipſâ concurſus & influxus voce non in eo ſenſu, qvô gratioſum in fideles eorumq; actiones influxum notat, ſed eâ potius ratione utuntur qvæ communiter apud Calvinianos locum habet, ita videlicet, ut *providentia* DEI *circa actiones liberas in genere Entis à Theologis concurſus & præcurſus appelletur, qvâ* DEUS *ita concipitur auxilium ſuum creaturæ præbere, ut actione ſuâ in voluntatem ejusq; liberas actiones (actus elicitos vocant,) influat, ipſaq; voluntas agat mota à* DEO, *cauſâ primâ qvâ eſſe & fieri ita & operari, dependet*, definiente Leydeckero (a) in Diſſertatione de providentiâ. Qvamvis & hic à communi ſententia recedant, vocemq; con-

(a) § XXXIX.

curſus

cursus pro influxu DEI, causæ primæ in 3.
omnes creaturarum actiones, tam liberas, qvàm naturales & ordinarias, tam elicitas qvàm imperatas sumant, cum concursus potius (a) *actionem causæ primæ ad extra, immediatè ab ejus essentia promanantem, qvæ cum causæ inferioris actione qvamvis ad eundem concurrat terminum* ex B. Æg. Hunnii descriptione denotet. Hunc igitur concursum per se & ἀμέσως talem negat Pajonius, usus hâc in re, ut Papinus gloriatur, Durandi, Augustini aliorumq;, qvibus hæc loqvendi ratio placuit, auctoritate. Nam Augustinus 7.
qvidem ipse opinionem hanc secutus videtur ex illis potissimum verbis, qvibus in Libris de Civitate DEI utitur, ubi (b) *DEUS*, inqvit, *sic administrat omnia, qvæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat*, si Jesuitis sententiam mirè detorqventibus apud Prideaux-
um (c) fides haberi potest. Ipsa sanè 8.

(a) *de Concursu causæ primæ Proëm.*
(b) *Lib. XII. cap. XXX.*
(c) *Lect. Theol. IV. 10.*

Augustini verba rite considerata, contra illos pugnant, qvi DEum ἀμέσως & causas secundas planè nihil agere volunt, omnemqve etiam à coactione libertatem illis detrahunt, ut rectissimè hunc locum explicat Leonh. Coqveus, & Joh. Prideaux. Renovavit hoc Dogma Durandus Seculo post. Christum nato XIV. qvi in 2. distinct. I. qvæst. 5. & distinct. 37. qvæst. 1. negavit, DEUM per se & ἀμέσως concurrere ad actiones causarum secundarum, sectatorem inter recentiores Sec. XVI. Philos. nactus Nicol. Taurellum part. II. qvæst. 45. de rerum æternitate hac de re disputantem. Qvam tamen olim sententiam qvam plurimos ante Durandum defensisse ex (b) Alberto M. & Henrico Gandavensi, Doctore solenni Secul. XIII, ipsoq; Augustino Svarez evincit. Papinus Pajonii nepos ut auctoritatem dogmati suo conciliet præter Durandum idem statuisse

(a) Comm. in h. l.

(b) Metaphys. Disp. XXII. Sect. I. num. II.

tuisse asserit, (a) Petrum Aureolum, Nicol. Bonnetum, Richardum Armachanum, Petrum de Aqvila Seculi XIV. Doctores, idemqve Gvilielmum Petrum, Nicolaum de Martimbos, & Joh. Gersonem, Secul. XV. lumina; ipsumqve etiam Joh. Launoyum Parisiensem Theologum, qvorum plerosqve advota invitos trahit. Hoc seculô præter Pajonianos Durandum secutus est; infelix ejus Hyperaspistes Ludovicus à Dola Capucinus, Manesii sententiâ (b) Durandistarum Antesignanus *qvi Libr. III. de concursu opinionem Durandi immediatum Dei concursum negantis denuò suscitavit*, dicente Leydeckero in Dissert. de providentia, (c) qvem peculiari tamen opere Rhetor fortis oppugnavit. II.

XXI. Ne verò & hic nihil innovarent nostri antiqvam Durandi hypothesin retinere prorsus maluerunt novâqve excogitatâ suum innovandi studium luculenter declararunt. Nam. III.

(a) *Essais de Theolog. Praloq Part. III.*

(b) *Tom. I, contra Tirinum. p. 605.* (c) §. XXXIX.

Nam cum ille cuilibet causæ secundæ vires indidisse Deum proprias ac sufficientes statueret; nostri ex adverso virtutem, qvam indidisse conditorem rebus creatis ferunt, generalem qvandam & καθολικὴν esse dicunt ad finem Seculorum usqve duraturam (motum illi universalem vocant) qvæ per instrumenta sua omnes motus particulares & eventus con-
2. tingentes productura esset. Adeò ut causæ secundæ qvævis, qvæ primæ hypothesεos vi principales dicebantur, instrumenta nunc, totô rerum ordine inverso fiant, recensente Jurio Tractatu (a) citato. Qvâ de re ut inferius agamus locus & occasio reqvirit.

1. XXII. Cæterum qvâ ratione respondendum huic ἐμπαίγματι sit, facilè patebit, si duobus potissimum argumentis totam rem complectamur, ita ut primâ fronte dogma, qvod cum Durando commune habet, negationem scilicet immediati concursus divini, alterâ Epicureum de anima mundi & communi movendi princi-

(a) *Tract. I. cap. I.*

principio naturæ soli indito, everte mus.
Ac primò qvidem concurrere DEum 2.
ἀμέσως ad actiones rerum naturalium
cumprimis liberè agentium, non per
primum solum in creatione virium com-
municationem, sed per proximum etiam
& realem influxum in essentiam & ope-
rationes agentium, qvà naturales sunt,
ex Sacris non minus literis, qvàm sanâ
ratione constat. Evidentissima enim 3.
hujus rei testimonia Sacer Codex nobis
suppeditat, tum maximè Job. X, 8. ubi
manus Tuæ, Jobus inqvit, *elaboraverunt
me, & totum me fecerunt* &c. *memento, qvod
ex limo me feceris.* Esai XXVI, 22. *Nobis
Domine pacem comparabis cum omnia, qvæ
possidemus nobis dederis.* 2. Macc. b. VII,
22. Mater ad filios inqvit: *Vitam &
spiraculum vobis non dedi, neqve membra
vestra effeci, sed ille qvi cœlum & homines
creavit, vitam vobis reddet.* 1. Cor. XII, 6.
αὐτός ἐστι θεὸς ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν & v. 11. πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἕν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, qvibus, apertè, tum
procreatio hominis, tum omnes nostræ
actio-

actiones DEO ἀμέσως agenti tribuun-
4. tur. Pari ratione de actionibus naturæ ab humana potestate exemptus loqvitur: Matth. V, 45 : ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν οὐρανοῖς ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθούς, καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους, Matth. VI, 26. τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας, καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τρέφει αὐτά. in qvibus voces ἀνατέλλει, βρέχει, τρέφει realem & proximum influxum in actiones naturæ dilucidè
5. indicant. Et qvid clarius classicô illo de providentia effato : (a) ὁ θεὸς δίδους πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα. Ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ παν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς. (b) Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν. Nam & πνοὴ & κίνησις humani corporis actiones, & generatio insuper hominem ac omnia qvæ agunt, ἐν αὐτῷ καὶ ἀπ' αὐτοῦ esse dicuntur. Accedit
6. testimonium Jeremiæ X, 23. *Scio Domine,*

(a) *Actor.* XVII, 25, 26.

(b) *vers.* 28.

mine, actiones hominis non esse in ipsius potestate, neq; ullius viri facultatem tantam esse, ut ambulet, (scilic. sine concursu divino proximo) *& gressus suos dirigat*, & aureum illud CHRISTI oraculum: ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι, ἐργασίαν scilicet proximi concursus, cum alia operatio primæ videlicet productionis semel factæ Deo tribui non possit. Idem testantur frequentissima scripturæ loca. Prov. XVII, 1. 9. Job. XXXVIII, 33. Genes. IX, 1. Jerem. I, 5. Psalm. CIV, 19. seqq. 13 14. 15. &c. Jerem. XXXI, 35. 36. Genes. VIII, 22. Hos. II, 21. 22. Genes. VIII, 17. 1. Cor. XV, 37. 38. Augustinus, (*b*) qvem ideò ab adversa sententia facile absolvimus, oraculo etiam, qvæ Matth. V. Luc. XII. 28. & 1. Cor. XV. habentur, DEUM, scilicet fœnum vestire & corpus tritico dare in hujus rei argumentum adducit, qvibus alio loco (*c*) dictum 1. Cor. XII. addit. Ex his omni-

7.

8.

9.

(*a*) *Joh. V, 17.* (*b*) *Epist. CXLVI. ad Consent.*
(*c*) *Libr. IV. in Genes. ad cap. XII.*

omnibus tam claris tamqve manifestis oraculis liqvidò concludimus, DEum ad qvosvis causarum particularium actus, qvà naturales sunt, concurrere, qvandoqvidem eas proprias sibi facit, motumqve ad actionem concursu suo
10. largitur. Porro cum rerum creatarum qvævisà DEO qvà essentiam dependeat causarumq; secundarum omnium actiones ex essentia simul proficiscantur, satis firmiter inde conficitur, eas non in essendo solum qvod vocant, sed & causando à summo Numine dependere.
11. Nolumus argumentorum acervos struere, qvarè ad Theologos utriusqve confessionis Lectorem cupidum remittimus, ut ea, qvæ hâc de re, B. Calovius in System. Tom III. Articul. VI. cap. 2 Qvæst. I. B Hülsemannus in Breviario cap. IV. §. 7. seq. qvi concursum Dei ad actiones naturales, non influxum concedit. B. Ægid. Hunnius Disput. de Concursu causæ primæ 1622. Witteb. propos. idem in Articulo de providentia Dei contra Huberū & Tossonum, defenso Jurius Tractatu I.

de

de natura & gratia contra hypotheſes Pajonii, Altingius Parte I. Problem. Theolog. probl. 29. idem in Explicat. Catechet parte II. Quæſt. 27. Rivetus in Synopſi Theolog. Leidenſium, Diſput. XI. Wittichius in Theologia Pacifica, Leydeckerus in face veritatis Loc. VIII. controv. V. contrariam licet ſententiam oppugnans Henr. Flockenius in Synopſi purioris doctrinæ. Loc. XI. Rhetorfortes de providentia cap. 25. & in diſput. contra L. à Dola Petrus Molinæus in Theſibus de provident. part. II. Bradwardinus Libr. de cauſa DEI, L. I. cap. 30, 31. Lib. III. cap. 1. 29. diputarunt, rectè accurateqve conſideret. Eqvidē Pajonianum iſtud dogma Canonibus Dordracenis contrarium Calviniani Theologi conſtantes repudiarunt. 12.

Andreas Rivetus hac de re: (b) *Non igitur*, inqvit, *dicendum eſt, DEUM tantum produxiſſe cauſas ſecundas, iisq; vim agendi tribuiſſe, & tam cauſas, qvàm virtutes iis inditas conſervare, eas autem intimâ virtute ad*

(a) *in Synopſ. Theolog. Leidenſ. Diſput. XI. §. 16.*

ad motum & actionem non impellere, &c. *Ex quâ opinione id præter alia absurdi sequitur, quod causa secunda respectu singularium actionum rationem habebit causæ primæ & primi moventis, quia movebit, non mota, & ita erunt plura prima principia.* Samuel Maresius: (a) *Omnes nostri Theologi*, inqvit, *censent DEUM auctorem esse omnis realitatis, & opus cujuslibet causæ secundæ non tantum remotè, sed & proximè à DEO dependere judicatur.* Qvinimò Wittichius in contrariam partem Petri Alliacensis, Alberti & Thomæ opinionem ex orco revocavit, qvi omnem actionum productionem soli Deo exclusis causis secundis tribuunt, unde in Theologia Pacifica: (b) *Illa operatio*, inqvit, *quæ Angelis, ut & creaturis qvibuslibet tribuitur, longè alia est ab ea quæ DEO adscribitur nec aliô sensu possunt dici operari, nisi quod positâ tali eorum voluntate, aliud qvid sequatur in creaturis, qvod tamen totum, qvoad omnem suam realitatem DEUS efficit; sic ergò non appa-*

(a) Systemat. Loc. IV. §. 29, 30. (b) §. 237.

apparet, qvò minus, si Deus velit, posità hâc l. illâ voluntate Angelorum aliqvid inde seqvi possit in mente nostra, qvàm in nostro corpore, qvam olim sententiam Albertus & Averreos, nostrô seculo cum Wittichio Burmannus in Synopsi, (a) omni conatu propugnarunt.

XXIII. Ad Philosophos qvod attinet, multum illi de concursu causæ primæ cum secundis disputarunt, utrum sufficienter ratione naturali probari possit, DEUM per se & immediatè operari in actionibus omnium creaturarum Durandum negantem aliis, aliis Thomam, Cajetanum, Capreolum, Alexandrum, Albertum, Gregorium, Scotum & Bonaventuram affirmantes, seqventibus: item qvomodò Deus immediatè concurrat, utrum immediatione suppositi, an immediatione virtutis: (sit venia verbo nimis barbaro) porro utrum ille concursus fiat per modum principii vel actionis? qvæ omnia nè μεταβολὴν εἰς ἄλλο γένος commisisse videa-

(a) *Lib. I. cap. XIV.*

videamus Philosophis meritò relinqvimus, id verò sufficere arbitrati, qvod Philosophorum Scholasticorum præstantissimi sententiam contra Durandum orthodoxam, ex naturæ etiam lumine validè adstruxerint, & adversarios ἀ Φιλοσο-
2. φιάς gravissimæ reos confecerint. Nam & Thomas, Scotus, Bonaventura, aliiq; Scholasticæ Philosophiæ dictatores pro sententia nostra, tanqvam pro aris & focis pugnârunt. & antiqviores insuper Theologi ac Philosophi ὁμοθυμαδὸν i-
3. dem docuere. Augustini qvidem sententiam aliam non fuisse supra confecimus; qvid Prosper Aqvitanicus & Gregorius M. senserint ex hujus Moral. Lib. XVI. cap. XVIII. & illius sentent: 251. constant. Gregorii verba qvæ dictô locô habentur apprimè mihi placent: (a) *Omnia*, inqvit, *qvæ creata sunt per se nec subsistere prævalent, nec moveri, sed in tantum subsistunt, in qvantum occulto instinctu disponuntur. Reliqvi Patres*, dicente Svario, *ubicunq; tractant de divina providentia,*

(a) *Mor. l. Lib. XVI, cap. 18.*

dentia, hanc veritatem ut certissimam supponunt. Qvid deniqve Damascenus, Simplicius, Hermes Trismegistus, Philo Alexandrinus & universa Thomæ ac Scoti familia hâc in re probaverint, aperte indicat, omnemqve controversiam solidè explicat Svarez (a) in Metaphysica, Daniel. Clasenius in Theologia Natur. Libr. I. cap. XLVII. & XLIX. Jac. Martin. Exercit. Metaph. Libr. I. Ex. 4. 4.

XXIV. Ac his propemodum rationibus adducti Pajonii sententiam, qvantum cum Durandina convenit rejiciendam arbitramur; nunc qvid ille vicissim argumentorum opponat breviter videbimus. Argumentatur scilicet cum Durando, necessitatem hujus divini concursus nullâ idoneâ ratione adstrui posse, cum supervacaneus ille & minimè necessarius sit. Nam divinæ sapientiæ contrarium prorsus esse ait, ut concursum admittat qvi inutilis & supervacaneus sit, talem vero ἄμεσον concursum qvẽ nós propugnamus esse, ex eô arguit, 1. 2. 3.

qvod

(a) *Disput.* XXII. *Sect.* I.

qvod causæ etiam secundæ non instrumenta, sed principales causæ sint, qvæq; adeo virtutè propria & fine extrinseco aliqvo influxu operentur, cum ad effectum producendum virtus illi æqvalis & coordinata sufficiat, nobilior verò
4 non reqviratur. At enim responsio & hic difficilis non erit, si antecedens, supervacaneum scilicet & inutilem hunc concursum esse apertè negaverimus. Sed obstant rationes diversæ partis: Neqve illæ verò tanti momenti sunt; ut à stata semel sententia dimoveri nos pa-
5. tiamur. Principales esse causas secundas ajunt: qvis negat? sed principalis causæ naturæ contrarium esse concursum superioris affirmant: Id verò est qvod inficias eo. Sint principales causæ, concedo: agant virtute propriâ &
6. principali, causæ tamen primæ nondum erunt, qvoad secundæ vocabuntur. Maximum sanè adhuc inter causam primam & principalem, itemqve secundam & instrumentum discrimen invenio. Nam & secunda qvædam principalis est,

&

& principalis qvædam ſecunda. Sic Hominem in generatione aliisq; actionibus cauſam principalem eſſe liqvet, primam autem eſſe qvis dicet ? Porro de- 7.
pendere à ſuperiori neutiqvam principalis cauſæ naturæ repugnat, nec ſeqvitur cauſam principalem in agendo independentem eſſe, *qvia multò major perfectio*, dicente Svariô, (a) *requiritur ad hoc poſterius, qvàm ad illud prius.* Deniqve, 8.
qvando ad productionem cujusvis effectus virtutem æqvalem ſufficere dicunt, non refragabor eqvidem, ſi de cauſa (non proxima qvidem ut Svarez in reſponſione ad hoc argumentum (b) afferit) ſed particulari intelligatur. Neqve enim obſtat, qvô minus illa particularis cauſa, licet æqvalis effectui ſit, à nobiliori tamen in agendo dependeat. Poſtremò ad illud argumentum, qvod 9.
ex Durandi hypotheſi Pajonius protulit, nosq; ad finem §. V. adduximus ex Svario, (c) licebit ejusdem verbis, ut al-

E bum

(a) *Metaph. Diſp.* XXI. I.
(b) *num.* XVI. (c) *num.* XVI.

bum & nigrum inter se conveniat, respondere, qvæ dictô locô habentur: *Respondetur*, inqvit, *involvere repugnantiam, qvod creatura sit potens ad agendum independens à creatore, tam ex parte ipsius causæ creatæ, qvæ necessariò habet vim commensuratam & proportionatam suo esse, qvam ex parte effectus, vel actionis ab illa manantis, nam cum illa sint entia per participationem, essentialiter pendent à primo Ente. Qvapropter sicut non spectat ad divinam providentiam producere Ens à se independens in esse, ita producere agens independens in agendo: imò utrumq; æqvè repugnat divinæ perfectioni & imperfectioni creaturæ.*

XXV. Atqve hæc hactenus communis Pajonio cum Durando causa fuit, nunc ad hypothesin ejus propriam illico nos conferimus, de qvâ notavimus §. XXI. Pajonium in ea hæresi esse, qvâ statuat, DEum universæ huic machinæ motum qvendam universalem & communissimũ impressisse ad finem usq; seculorum duraturum, qviq; per creatas res omnes, velut per instrumenta, omnes

motus

motus particulares & eventus contingentes effecturus esset. Qvâ thesi sua hactenus ferè inaudita qvid evincere velit Pajonius, haud obscurum illis esse poterit, qvi de anima mundi Philosophorum veterum somnia cognita perspectaq; habuerint, qvorum alii mundo rationalem cum Simplicio, Majemonide, Arabibus, Priscillianistis, Paracelsistis & Xenocrate, sensitivam alii cũ Avicenna, Joh. Jacobô Pavesio & Campanella, alii vegetativam cum Epicuro & Stoicis, aut ex numeris ternario & binario conflatam cum Timæo Platonico, (a) alii denique ab his omnibus distinctam cum Branzano & Kepplero μαθηματικωτάτω animam tribuêre. Id sanè Pajonius agit, ut vim qvandam & formam ἐνεργητικὴν universalem, formam veluti, imò & animam mundi, qvæ materiam actuet, atqve informet Syltemati huic universo inesse probet, Naturam hanc vocant, & mundi formam, eamqve distinctam à formis qvarumvis rerum particularibus,

(a) *Macrob. in Somn. Scip. Lib. I. cap. VI.*

bus; cujus instrumenta, sint causæ secundæ, qvæqve adeò sine concursu DEI ex
4. naturæ præscripto agat. Absurditatem verò hujus dogmatis cum facilè agnoscant omnes, prolixius de eodem agere supervacaneum esse duxit, præsertim cum eruditissimi homines plurimum hac de re literis consignatũ reliqverint, ex qvibus ea qvæ B. Calovius in Systematis Tom. III. Artic. de Creat. Qvæst. VI. p. 921. & cap. II. p. 945. & Voëtius Selectarum Disputat. Tom. I. part. III. de Creat. fol. 602. 603. & in appendice, fol. 859. seqq. habent omnium desiderio
5. satisfacient. Postremò cum novum hoc & inauditum dogma dixerim, adjungenda mihi qvædam necessario sunt qvæ de Arminianorum opinione Ludovicus Molinæus. Thes. de Provident. part. I. §. XLIII. habet. *Facessat*, inqvit, *influxus ille generalis & indeterminatus Arminianorum, qvem commenti sunt, ut in mutatione cordium & regeneratione minimum DEO debeatur, & laudis maxima pars in hominem transcribatur* §. XLIV. *Nam influxus*

fluxum ille generalis, sive vocetur naturalis, sive moralis, sive supernaturalis, non determinat ad bonum magis, quam ad malum &c. Qvò loco non influxum concursus naturalem sed Divinæ gratiæ, qvem universalem Arminius dixit, intelligi ex universa textus collatione patet.

XXVI. Deniqve, cum errorum qvorum monstra in fidei Christianæ dogmatibus adversa illis esse animadvertant, qvibus animarum salus curæ est, elevare novi hujus sui dogmatis ἀκυρότητα mirâ ratione ausi sunt, qvando doctrinam de concursu DEI Philosophicam solum non Theologicam adeòqve ad salutem creditu non necessariam esse, teste Jurio (a) affirmarunt. Qvâ in re πρόμαχον nacti sunt, sed paulò saniorem, Henr. Altingium, qvi *Problema de concursu providentiæ divinæ & voluntatis humanæ è scholis Philosophorum manásse in Theologiam & à Philosophis ad Theologos propagatum audaciter affirmat*, (b) asseclas verò Britannos ho-

(a) *Tract. II. de nat. & Grat.*

(b) *Parte I. Problem. Theol. XXIX.*

hodie plerosq;, qvi controversias etiam de natura & Gratia κατὰ μίμησιν Scholasticas esse nugantur teste Leydeckero in Præfat. 4. Tomi I. Veritat. Evang. Triumph. At enim verò aliud nos docent sacrarum literarum volumina, qvæ de concursu divino variis ubiqve testimoniis certos nos faciunt. Siqvidem & hic in Pajonianis ineptum qvorundam περιφύγετον agnoscimus!, qvô errores qvos vovent, vel planè nullos esse ajunt, qvæstionem de qvâ agitur nullius pretii vocandô, vel ad Philosophiam tamen Scholasticam ad sacram veluti, anchoram confugiunt. Arminiani certè erroris crassissimi de imagine Dei sibi conscii latebras hic solitô more qværunt, asserendô; Qvæstiones has: utrũ habuerit Adam originalem qvandam justitiam: utrum concreata illa, an verò superaddita, & qvâ deniqve in re constiterit imago Dei primæva, *titivillitiô vix emptandas esse.* (a) Absurditatem recocti hujus dogmatis nemo non videt, qvare pro-

(a) *in Apolog. cap. V.*

prolixiori ejus refutationi insudandum non putavimus. Nam nos eqvidem non negamus, philosophiam ex naturæ Lumine, sicut de providentia generatim, ita & de concursu Dei agere posse, qvâ de re suprà monuimus. At enim cum totus de Dei providentia articulus, qvatenus ex revelato Scripturæ libro cognoscitur ad Theologos pertineat, & hoc insuper dogmate corruptô, doctrina de hominis conversione, Dei omnipotentia, & viribus hominum post peccatum liberoq; arbitrio corrumpi possit, (ut ex Pajoniano systemate patet) longè illum à veritate aberraturum sentio, qvi ad Theologos controversiæ hujus dijudicationem pertinere inficiabitur.

XXVIII. Atqve hæc hactenus de Deo ejusq; actionibus dicta sunto, nunc ad ἀνθρωπολογίαν citatô cursu pergimus, qvam Pajoniani in utroqve naturæ, cum corruptæ, tum reparatæ statu miserè corruperunt. Nam ad primum qvod attinet, vires illi hominis post peccatum in rebus divinis impense extulerunt, originalis

nalis contra peccati gravitatem apprimè elevarunt. Siqvidem peccatum illud in intellectu solum, non voluntate hominis hærere asserunt, tantum abest, ut reliqvas corporis ac animæ facultates tristissimâ hâc humani generis clade corruptas esse concedant, voluntatem verò, siqvandò in eligendo objecto convenienti aberrat ab intellectu deprvato determinari ajunt, teste Jurio in Tract. de Nat. & Gr. (a) Fundamentum opinionis hujus suæ divinum illud oraculum (b) וַיַּרְא יְהוָה כִּי רַבָּה רָעַת הָאָדָם בָּאָרֶץ וְכָל־יֵצֶר מַחְשְׁבֹת לִבּוֹ רַק רַע כָּל־הַיּוֹם supponunt, ita tamen ut malâ fide se agere eâdem operâ declarent, siqvidem contrarium ex eôdem loco facilè evincunt, vox יֵצֶר qvæ concupiscentiam & inclinationem ad malum teste Buxtorffio, (c) indicat unde תֵּרֶב יִצְרֵא concupiscentia cordis Psal. CXIX. v. 70. הִרְהוּר יִצְרֵא cogitationes concupiscentiæ Jes. LXII,

(a) Tract. I. cap. I. (b) Gen. VI, 5.
(c) in Lexico sub voce יצר

LXII. 10. idem vox לֵב animum sive voluntatem præcipue designans, unde לִבָּא עִקְּמָנָא cor perversum Psalm. CI, 4. לִבָּא חֲרִיָּא Proverb. XVII, 22. לֵב שָׁלֵם Esai. XXXVIII, 3. de voluntate perversa, læta, recta dicuntur. Porro cum 4.
fatis superq; perspiciat ab ἀντιμάχοις infantes sibi objectũ fore, qvibus originale peccatũ inesse clarissimis Scripturæ testi- 5.
moniis cõstet, cũ nullũ tamẽ illis intellectũ in voluntatem imperiũ conveniret, cujꝰ vel sanô etiam usu destituantur. Qvamobrem ad exemplum aliorum sui gregis (qvi freqventer inter fidei habitum & dispositionem distringventes, hanc solam infantibus tribuunt) discrimen qvoqve inter originalis peccati habitum & 6.
dispositionem instituendum solamq; dispositionem infantibus concedendam esse censent, notante Juriô, d. l. Unde tria adeò oppugnanda nobis sunt, qvorum primum peccatum originis intellectum tantum corrupisse, alterum, voluntatem adhuc integram ab intellectu ad
malum determinari, tertium denique in- 7.
fantibus solam peccati istius dispositionem

nem concedendam esse. Ac primò qvidem Cartesii hypothesin in Pajonio facilè agnoscimus, cujus hac in re à Jesuitis præceptoribus miserè edocti emblemata summè manifesta sunt, qvibus voluntatem adhuc integram esse summoperè contendit. Ita enim ille: (a) *Qvod valdè notandum mihi videtur*, inqvit, *nulla alia in me sunt tam perfecta, aut tanta, qvin intelligam perfectiora, sive majora adhuc esse posse: nam si, e. gr. facultatem intelligendi considero, statim agnosco perexiguam illam & valdè finitam in me esse, sola est voluntas, sive arbitrii libertas, qvâ tantam in me experior, ut nullius majoris ideam apprehendam: adeò ut illa præcipuè sit, ratione cujus imaginem qvandam & similitudinem DEI me referre intelligo: nam qvamvis major absqve comparatione in DEO, qvàm in me sit, tum ratione cognitionis & potentiæ, qvæ illi adjunctæ sunt, reddunté ipsam magis firmam & efficacem; tum ratione objecti, qvia ad plura se extendit; non tamen in se formaliter & præcisè spectata major videtur, qvia tantum in eo consistit, qvod idem vel facere, vel non facere, (hoc est affirmare, vel negare, prose-*

[a] *Med. 4. pag. 54.*

qui

seqvi vel fugere) possimus: vel potius in eo tantum, qvod ad id, qvod nobis ab intellectu proponitur affirmandum vel negandum, sive prosequendum vel fugiendum ita feramur, ut nullâ vi externâ nos ad id determinari sentiamus. Qvin imò in Libro de passionibus animæ Gallico Idiomate conscripto clarius se explicat, cujus verba Latinè reddita hæc sunt: (a) *Unum duntaxat in nobis observo, qvod justam causam nobis possit suppeditare nosmetipsos æstimandi, nempe usus Liberi nostri arbitrii & imperium qvod habemus in nostras voluntates. Nam præter solas actiones dependentes ex isto libero arbitrio, nihil est, unde possimus laudari vel vituperari, illudq; nos qvadammodò reddit Deo similes, nos nostri Dominos faciendò, modò per ingnaviã non amittamus jura, qva nobis confert.* Cujus sententiam reipsa approbat. Lambert. Velthusius Libro de initiis primæ Philosophiæ ubi *Voluntas tam libera est*, inqvit, *ut nullis limitibus circumscribatur, tamq; magna, ut nullius majoris libertatis ideam concipere liceat* &c. 8. 9.

(a) *Articul. CLII.*

qvô nomine vapulat Leydeckero in Face
10. Veritatis Loc. VIII. Controv. III. Longè verò aliter se res habet, adeò ut plurimis qvoq; Calvinianis Doctoribus contraria stet sententia. Rivetus suné, magni nominis inter Lugdunenses Batavos Theologus: (a) *Subjectum*, inqvit, ὑπάρξεως *vel inhæsionis, qvando peccatum hoc consideratur non respectu totius speciei de qvâ prædicatur; sed individui, cui adnascitur & inhæret est non solum hominis corpus, neq; sola anima simul, adeoq; homo totus, qvantus secundum omnes corporis & animæ facultates.*
11. Similiter Canones Dordraceni decernunt: *Qvando DEus hoc suum beneplacitum in electis exsequitur, sive veram in iis conversionem operatur, non tantum Evangelium illis externè prædicari curat, & mentem eorum per Spiritum S. potenter illuminat, ut rectè intelligant & dijudicent, qvæ sunt Spiritus DEI, ejusdem etiam Spiritus regenerationis efficacia ad intima hominis penetrat, voluntati novas qvalitates infundit, facitq; eam ex mortua vivam, ex mala bonã ex*

(a) *Synops. Leydens. Disput. XV. §. XXII.*

ex nolente volentem ex refractaria morigeram. Qva in re non multùm à noſtris 12.
diſſentiunt, cũ firmiter nos & conſtantes ex Symbolicorum librorum præſcripto *credamus & confiteamur, voluntatem hominis nondum renatam, non tantùm à DEo eſſe averſam, verùm etiam inimicam DEo factam, ita ut tantummodò ea velit & cupiat, iisq; delectetur, quæ mala ſunt, & voluntati divinæ repugnant.* Adeoqve vo- 13.
luntatem hominis miſerè corruptam teſtantur Sacræ Literæ, Gen. VIII, 21. *ubi cordis humani cogitationes, pravæ* dicuntur, ideoq; per cor uſitatâ Hebræis phraſi voluntas intelligitur, unde illud etiam Gen. VI, 5. adverſus nos adhibitum nobiscum facit. Adde, quæ Rom. 14.
VII, 23. Jerem. XVII, 9. habentur & aureum illud Pauli oraculum: ἡμᾶς ὄντας νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι ἐν οἷς καὶ ἡμεῖς πάντες ἀνεστράφημεν ποτὲ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς σαρκὸς ἡμῶν, ποιοῦντες τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς καὶ τῶν διανοιῶν

(a) *Epitome Articul. Artic. II.*
(b) *Eph. II, 1. 3.*

νοιῶν θεὸς ἠγάπησεν, ut & aliud: τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς. (Φρόνημα enim sive prudentia voluntatem instruit, siqvidem ἀπὸ τῦ φρονεῖν descendit, qvod volendi significationem apud Homerum, Odyss. E. σ. & υ. Iliad. χ. Sophoclem in Ajace, Euripidem, Demosthenem aliosque habet) ἔχθρα εἰς τὸν θεὸν. Qvo loco ut rectè notat apud Chamierum Salmero per φρόνημα intelligitur affectus, cogitatio, cura & studium à voluntate proficiscens, Panstrat. Lib. X. cap. 9. 11. Petrus Jurius in responsione ad hanc Thesin Pajonisticam aliâ ratione progreditur & ex concupiscentia, qvæ voluntati inest, voluntatem depravatam esse argumentatur. Qvô locô notanda qvædam Calvinianorum Theologorum præcipua sed non vulgaris dissensio est, ubi de concupiscentia, utrum peccatum illa originale sit, disqviritur. Noster ut Pajonium eò fortius constringat, confestim in affirmantium partes

(a) Rom. VIII. 7.
(b) Tract. II. de nat. & Gr.

tes discedit, approbante Abrahamo Ramburtio Sedanens. Theolog. in Thesibus de peccato Originis. A. C. 1623. publicè editis, ubi prolixiùs hac de re agit. Longè verò diversa Petri Molinæi Sedanensis Theologi sententia est, qvi in contrarias planè partes discedit. Nam in Thesibus de peccato Originali, (a) A. C. 1628. publicatis, posteaquam compluribus argumentis sententiam suam probaverat: *Nec sane concupiscentia*, inqvit, *potest esse peccatum originale, cùm ex peccato originali nascatur, ut docet Paulus ad Rom. VIII, 8. Peccatum est operatum in me omnem concupiscentiam. Tum concupiscentia actio quædam est, aut habitus, sed peccatum originale neutrum est, sed fons utriusqve.* Tertiæ partis patronus, cui concupiscentia, non effectus s. fructus peccati orig. sed pars dici solet Daniel Chamierus est in Panstratiæ nobili & prolixo contra Pontificios opere, (b) *Scriptura*, inqvit, *hoc peccatum*, (concupiscen- 18. 19.

(a) *Part. II.* §. 43. 44.

(b) *Lib. X. cap. IX.* §. X.

piscentiam) *repetit ab ineunte ætate, in Genesi, itaq; oportet esse originale. Quod ego tamen sic explico, ut non æquè latè pateat. Originale enim pervasit omnes animæ facultates, non voluntatem duntaxat, sed etiam ratiocinationem, imò ipsam imaginationem, id est τὸν νοῦν: at concupiscentia hæret duntaxat voluntati ex vi ipsa vocabuli. Itaqve videtur concupiscentia proprie dici potiùs pars peccati originalis, quam ipsum peccatum originale.* Nostrarum Ecclesiarum constans sententia est, concupiscentiam omninò peccatum originale, neqve verò totum, sed partem illius, vocabulo partis minùs accuratè sumptô esse. Nam Augustanæ Confessionis dilucida sententia est(a)nos *cum peccato originali nasci, hoc est, sine metu & fiducia DEi, & cum concupiscentia*, qvam exasse ac graviter defendit, totamq; simul sententiam, explicat Confessionis Apologia, non scripturæ solum, sed ipsorum qvoqve adversariorum ac Patrum sententias adducendô. Et huic adeo sanctissimæ inviolatæqve orthodoxias fulcro

(a) *Articul II.* atqve

atqve fundamento qvamdiu firmiter constanterqve innitimur feliciori successu Pajonii strophas detegere, ac convincere possumus. Nam cum illa sanè homini inhærens concupiscentia non ad intellectum, sed voluntatem potiùs referatur, corruptam illam ac depravatam esse diserte indicabit. Eâ- 23.
qve ratione Jacobus (a) peccandi methodum divinitus describens: ἕκαστος, inqvit. πειράζεται ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος, εἶτα ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν ἡ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκύει θάνατον.

XXIX. Porro qvod ad intellectus in 24.
voluntatem imperium attinet, nescio quæ insana laurus conjunctissimos Cartesii sectatores hac in re à se invicem disjunxerit. Cartesius eqvidem ipse du- 25.
bitâsse mihi hac de re videtur, qvi eliminandæ hujus controversiæ causâ cogitationis vocem invenit, sub quâ uni-

(a) Jacob. 1, 14, 15.

universum tum voluntatis, tum intellectus actum, qvin ipsos etiam sensus brutis communes comprehendit. Nam *cogitationis nomine*, inqvit, (a) *intelligo illa omnia, qvæ nobis conscijs in nobis fiunt, atqve ita non modò intelligere, velle, imaginari, sed etiam sentire idem est hic qvod*
3. *cogitare*. Hôc universali conceptu rem omnem dijudicaturus ac mentis humanæ essentiam constituturus, Eridis illud pomum in familiam Cartesianam intulit. Siqvidem, qvod à præceptoribus suis Jesuitis didicerat, *intellectum*, teste Becano, (b) *moveri ad inclinationem & imperium voluntatis*, passim propugnavit, suisqꝫ etiam discipulis docendum injunxit, qvô nomine cùm Cartesium ipsum, tum verò Burmannum & Wittichium καρτεσιανίζοντας Leydeckerus (c) reprehendit. Sed qvid nostri? Toto illi, qvod ajunt, cœlo à reliqvis
4. diversi voluntatem adhuc ut credunt integram

(a) *Princip. part. I §. IX.*
(b) *Theolog Scholastic. Part. II. Tract. I. cap. II. Qvæst. III.*
(c) *in Face Veritatis Loco X. controv. V.*

tegram intellectus corrupti imperiô subjacere, & ab eodem ad malum determinari credunt, permoti forsitan Renati sui (a) effatô, qvi *firmiter se sibi persvadere, ait, nihil extrâ proprias cogitationes absolutè esse in nostra potestate.* Eadem ferè discordia reliqvos ex Calvinanis Theologos invasit. Nam Jurius contra Pajonium voluntatem potiùs intellectui imperare prolixè probat, (b) Petrus Molinæus utriq; facultati imperium tribuens, (c) *in singulis actionibus voluntatem ab intellectu determinari in genere tamen voluntatem intellectui imperare, nec intellectum se applicare ad intelligendum nisi jussum à voluntate, contendit.* Contra Jacobus Capellus in Thesibus de libero Arbitrio §. 16. 17. 18. seqq. Imperium haud obscurè intellectui tribuit, consentiente Ramburtio (d), secundum qvem 5.

(a) *Dissertat. de Methodo pag.* 23.
(b) *Tractat. II.*
(c) *Thes. de Liber. Arbitr. Part. I.* §. XVIII.
(d) *Thes. de Viribus hominis post Laps.*

qvem *intellectus illuminationem inclinatio voluntatis necessariò sequitur*, idemque Leydeckero imperium, intellectus in voluntatem agnoscente. Burmannus (a) denique *universam mentem voluntatem non minùs, quàm intellectum liberam esse & liberè agere in omnibus actionibus* affirmat.

6. Cadmæos scilicet fratres dixeris, qvi in leviculis etiam rebus δὶς διὰ πασῶν à se invicem distant, & perspicuè sibimet ipsis contradicunt. Nos verò ne ab orthodoxâ sententia discedamus mediâ utemur viâ, tutissimâ videlicet & felicis-

7. simâ. Cùm enim ex sacris literis solidè constet, nec voluntati, nec intellectui in sacris rebus qvicqvam libertatis inesse, facile inde colligimus, nec voluntatem, in genere ad malum determinatam, sublatâ arbitrii libertate, Gen. VI, 5. Eph. II, 1. 2. Rom. VIII, 7. intellectui: ne intellectum, cui per se libertas non competit voluntati imperare aut determinare illam posse, II. Cor. II, 14. *III*, 5.

Qvod

(a) *in Face Verit. Loc. X. coPetroV. VI.*
(b) *Lib. II. Synops. cap. XI.*

Qvod verò ad res civiles, Physicas, item Ethicas & Oeconomicas attinet, cum B. Hülsemanno (a) affirmamus, *voluntatem hominis obtinere libertatem tam à coactione, qvàm à necessitate, tam generis qvàm speciei, neqve determinari eam ab ultimo judicio rationis practicæ ad majus bonum apparens tantum, sive genericum sive specificum, sed posito rationis judicio liberè se habere & solò appetitu nonnunqvam duci ad diversa opposita & contradictoria.* Idcirco legimus gentes à vero DEi cultu remotas reclamante scientia & conscientia τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγινώσκοντας, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, malè tamẽ & perversè egisse. Cujus rei argumenta cùm ex sacris, tum ex profanâ qvoqꝫ philosophia cumulare possemus, nisi temporis ratio habenda nobis esset. Qvare levi velut brachio capita auctorum nobiscum sentientium percurrenda duximꝰ, qvorum exnumero eminet Augustinus, Lib. 1. de Civit. DEi XII. cap. 6. & libro de patientia cap. 24. Tartaretus Libro III. Ethi-

(a) Brev. Theol. cap. VII. § VIII. (b) Rom. 1, 32.

Ethicorum qvæst. I. Commentata Damasceni in Librũ II. de orthodoxa fide, c. 26. Balthas. Meisnerus in Philosophia sobria Part. III. Sect. I. Qvæst. VI. Becano, Theolog. Scholast. Tom. I. tract. I. cap. II. qvæst. 5. Scaliger Exercit. CCCVII. sect. 15. aliiq;.

1. XXX. Sed hæc tamen φιλοσοφικώτερα facilè mittimus, & ad ea pergimus qvæ magis veritati officiunt. Nam de eo decertandum nunc nobis est, utrum infantes habitu, an verò sola dispositione

2. peccati originalis præditi sint: Posterius affirmant Pajoniani, Socini cujusdam, credo, aut similis auctoritate permoti, Nam Socinianum spiritum facillimè hic agnoscimus, semina solùm peccati originis infantibus tribuentem, habitum verò ab adultis acqviri affirmantem exemplo Socini, qvi: *Pravitas illa*, inqvit (a) *ad peccandum, qvæ in homine conspicitur, sicut ab ipsa prima creatione ortum non habet, sic neq; à primo illo peccato statim exorta est, sed continuatis post peccatum illud aliis peccandi actibus, peccati habitum paulatim hominis*

(a) *Libr. Schaforiore. cap. V.*

mines contraxerunt, seq; ipsi corruperunt, & sic corruptionis istius semina ad posteros transmiserunt. Gemina his Jacobus Capellus Salmurienſis Theologus habet, qvi originale peccatum definit *per originalis justitiæ privationem, per quam homo qvò magis adoleſcit, eò magis avertatur à DEo.* Neqve multùm diſſentire videtur Petrus Molinæus. Nam etſi *peccatum*, inqvit(a)(originale in infantibus) *nondum actu inſtigavit parvulos ad peccandum, aptum eſt tamen & proclive ad inſtigandum. Et qvamvis infantes non ſint capaces intellectionis legis, in eo tamen à Lege damnantur, qvod mali ſunt ab ortu & habent inſitam proclivitatem ad peccandum.* Mihi verò longè alia Molinæi ſententia fuiſſe videtur, qvi non tam de peccati originis natura, qvàm fructibus ejusdem & inſtigatione ad actuale peccatum loqvitur, eoq; magis, qvod clarisſimis indidem verbis contrarium tuetur, qvando: *peccatum originale*, inqvit, *æqva-*

3.

4.

(a) *Theſib. de peccat. origin. Sedan. Parte II.*

æquale esse in omnibus: nec ex conditione habendi major est in his, quàm in illis privatio justitiæ: non secus ac mortuorum hic dici non potest magis isto mortuum.

5. Parem propemodùm discordiam inter Junium & Keckermannum Calvinistas observamus, quorum ille (*a*) peccatum originis habitum vitiosum, qui ad posteros omnes propagetur, hic verò (*b*) dispositionem proclivem humanarum facultatum ad malum ex adverso appellabat. Absit verò ut

6. idem cum adversariis hic sentiamus, quòm peccati originalis non dispositionem solam sed habitum ipsum infantibus inesse firmis adducti rationibus credamus.

7. Nam primò consensum Scripturæ planè nullum habent, dissensum licet non profiteantur, maximo ille tamen omnino est. *Cor hominis* Scriptura (*c*) *malum dicit esse ab infantia* iisdemq; phrasibus utitur cum de adultis etiam agit, (*d*) Ita *perversos esse impios dicit ab utero matris, mendaces errare ab utero matris* Es. XLVIII, 8. affirmat: ita

[*a*] *Disput. de peccat. orig. Thes.* 2. [*b*] *System. Theolog. Loc. II. cap.* 5. (*c*) *Gen. VI.* (*d*) *Ps.* 58, 4.

ita David se fatetur in peccato originali conceptum, (a) *ubi evidens est, eum loqui, de peccato propriè dicto* (sive habitu non sola dispositione peccati,) *cùm hæc confessio huc pertineat, ut se pœnam commeruisse agnoscat*, ut rectè contrà ipsos etiam Calvinianos Petrus Molinæus (b) rem explicat. Deniq;, si ad 8. Sacrarum Literarum normam Pajonianum hoc dogma accuratius quis probaverit, facillimô opere falsum illud & periculosum esse concludet. Equidem 9. ex Sacro Codice luculenter constat, peccata nostra quælibet Baptismô deleri, Act. XXII, 1, 16. I. Cor. VI, 11. Zachar. XIII, 1. Ezech. XXXVI, 25. veterem hominem, eumque peccatô originis, ac concupiscentiâ infectum, occidi, aboleri, novumque resurgere. Rom VI, 4. 6. nosque baptismô puros reddi ac innocentes, Ephes. V, 26 Tit. III, 5. Ebr. X, 2, 24. imò & corpus peccati nos deponere, ut Paulus loquitur. Coloss. II, 11. quæ omnia evidentissimè docent tan-

F tum

(a) *Psalm. LI, 7.*
(b) *De peccat. Original. Part. II. §. XI.*

tum abesse, ut in homine baptizato & vitæ suæ rationes ad divinæ Legis normam instituente peccatum originis à dispositione ad habitum progrediatur, ut renatus homo id potius sedulò agat, quò Sancti Spiritus ope veterem, quem vocant, hominem & inhærens naturæ vitium, qvantum humanis viribus fieri potest, qvotidie reprimat ac debilitet.

XXXI. Sed ad alia pergendum nobis
1. est, eaqve qvæ de originis peccato adhuc restant ordine dijudicanda. Pajoniani igitur, quandoquidem intellectui soli Conceptionem inhærere affirmant, eâdem operâ peccatum originis malum solummodò morale, neutiquàm verò physicum, aut naturale esse judicant, ejus potissimum rei causa, ne dum naturale illud vocarent in absurdissimam Flacii opinionem dilaberentur, recensente Juriò. (a) Miseros verò homines, quibus,
2. quod de nautis olim suis poëta cecinit.

Incidit in scyllam qui vult vitare Charybdim.

veriſſimè accidit Illi enim dum Fla-

(a) *Tract. I. de natur. & Grat. Cap. I.*

Flacii errores vitant, Pelagio perditissimo homini accesserunt, ejusque errorum de peccato originis participes se fecerunt, adeò, ut poeta loquitur:

-dum vitant vitiam contraria currunt.

Neque verò hæc opinio Pajonium primum auctorem habet, cum ejus vestigia apud Josuam Placæum Theologum Salmurienſem non ignobilem passim legamus. *Effecta* inquit, (a) *lapsus sunt duum generum, cum enim humanas facultates in morales & Physicas distinxerimus, in illas universalem quandam corruptionem invexit &c.* (b) *Ad physicas facultates quod attinet malum pœnæ procreavit*, unde constat statuere illum corruptionem sive culpæ malum solum morale esse, malum pœnæ morale & physicum. Sed clarius mentem alibi (c) explicat: *vitium* inquit, *originale ita est à corpore, ut in ipsis animæ facultatibus hæreat. Perversa autem facultatum* 3.

(a) *De lapsu Adami* §. XXXI.

(b) §. XXXI.

(c) *De statu hominis lapsi ante gratiam* §. XXX.

tum moralium circa finem affectio, undecunque orta sit, MALUM est MORALE, nisi DEI succurat misericordia, planè lethale. Nihil enim aliud est, quàm habitualis quædam adversus DEUM inimicitia, quæ voluntaria dici potest, cum sit ipsius voluntatis obliqui-

4. *tas &c.* Res ipsa jubet, ut quod sæpiuscule hactenus feci Calvinianæ Ecclesiæ dissensum hic indicem; nam Placæi sententiam audivimus, cui ex parte contradicit, Henr. Alting. (*a*) cui *peccatum originale concretivè sumptum est qualitas positiva Physica, subjecti respectu, at non prava qualitas*, siquidem physicam illud qualitatem sed bonam Physicè &Lo-

5. gicè malam esse credit. Nostri è contrario corruptionem hanc moralem solummodò, minimè verò Physicam esse

6. concedunt. Qvartam partem jurius cùm suis obtinet, qvi corruptionem peccati originalis non moralem modò, sed suô modô physicam vocat, (*b*) contra plerorumq; Calvinianæ Ecclesiæ doctorũ sen-

(*a*) *Problem. Theolog. Part. I. probl. 26.*

(*b*) *Tract. II de Nat. & Grat.*

sententiam, consentiente Joh. Prideaux qui *in peccato origin. defectum physicum, affectum moralem & effectum politicum esse dicit.* (a) En Gordium, quem vocant, 7
& difficillimum sanè nodum. Quem ut feliciter dissolvamus, notatu dignum judicavimus, naturalis mali vocabulum non pro eo sumi defectu, qvi purè physicus sit, ex causis physicis oriatur, & corruptionem merè physicam inferat, sed talem potius corruptionem indicare, qvæ non intellectum solummodò aut voluntatem, sed reliquas, etiam hominis facultates totamque adeò hominis naturam corruperit vel ut Augustinus (b) definit: *Naturale malum sic dicimus non quia sit naturæ à DEO opifice congenitum, sed quod à peccante natura transierit in peccatricem naturam, id est, qvod sit naturæ peccantis vitium, non ipsa natura.* Sicut morale etiam ma- 8
lum sensu vulgari atque receptissimo aberrationem à regula Legis propositæ, sive vitium in intellectu & voluntate

(a) *Lect. Theol. XXI. num. 4.*
(b) *Libr. IV.* Ὑπογνωστικ.

9. locum obtinens designat. Jam igitur nil obstat, quo minus peccatum originis ex Symbolicorum librorum præscripto in Sacris Literis apprimè fundato, itemque B. Lutheri & nostratium plerorumque sententia malum naturale in posteriori & recepto vocis significatu appellemus. Nam quid aliud docet Scriptura S. quæ nos Φύσει τέκνα ὀργῆς
10. naturâ filios iræ esse judicat? (a) B. Lutherum phrasi hac frequenter usum explicat ejusque sententiam ita defendit Epitomes Articulorum (a): *D. Lutherus qvidem originis illud malum, peccatum naturæ, personale vocat: Sed non eam ob causam, qvasi natura, persona aut essentia hominis, absqve omni discrimine, sit ipsum peccatum originis, sed ideo, ad hunc modum loquitur, ut hujusmodi phrasibus discrimen inter peccatum orig. & peccata actualia intelligi possit* & Solida ejusdem declaratio: *cum Lutherus* inquit, (c) *utitur his Phrasibus peccatum natu-*

(a) *Ephes. II. 3.*
(b) *Artic. I. affirmat. X.* (c) *Articul. I.*

naturæ &c. satis ipse mentem suam declarat, quod hoc velit: non tantum hominis sermones &c. esse peccata, sed totum hominis, naturam, personam &c. per origin. peccatum prorsus esse depravatam & totaliter corruptã. Audiamus B. Hunnium, θεολογικώτατον, judicem hujus controversiæ peritissimum: *Tota*, ille inquit (a) *essentia, substantia & natura hominis, istô horribili accidente coram DEO abominabilis æternæq; damnationis rea est reddita. Rectissimè igitur peccatum naturale & personale à Luthero dicitur, quòd non actionem aliquam, seu internam, seu externam, ut peccata actualia, sed naturam ipsam & personam ipsam ineffabiliter contaminârit*: Similiter B. Balduinus (b): *Peccatum originis*, inquit, *pari modô NATURALE MALUM dicitur, non quòd de essentia naturæ sit, quæ tota bona est; Sed partim, quia naturæ corruptæ proprietas & conditio est, peccare, ut Concordia nostra explicat,*

(a) *In Volum. Disputat, XXI. §. 39, 40.*

(b) *Thesib. de pecc. orig. §. LXV.*

cat, partim etiam, quia naturali propagatione derivatur.

1. XXXII. Denique cum ex Pajoni sententia peccatum originis soli intellectui inhæreat, facilè ille moveri potuit, ut corpus ejusq; facultates (h.e. sensus externos ac internos, quòd corpori magis quam Spiritui conveniant, ita dictos,) nullo planè modo corruptas, esse arbitretur. Quamvis alio demum locô, ejusdem assectæ contrarium statuant & solum corpus aut primario tamen corruptum autument. De quâ utriusqve diversæ partis sententia brevitèr, ut instituti nostri ratio postulat
2. acturi sumus. Principiò enim vi Symbolicorum Librorum sententiam nostram eam esse dicimus, quæ affirmat, (a)*nihil sanum, nihil incorruptum in corpore & anima hominis, atq; adeò in interioribus & exterioribus viribus relictum esse.*
3. Hanc porro, quandoquidem contraria argumenta adversarii non proferunt, nisi pauca quædam ex hypothesibus petita, unaque adeò cum illis

(a) *Epitom. Articul. I.*

illis cadentia, ex divinis literis confirmamus, quæ de corpore generatim, Rom. VI. 12. 13. Sap. 1, 13. 14. 11. 23. 24. speciatim verò de oculis: I. Joh. II, 16. auribus, II, Tim. IV, 3. 4. pedibus, lingua labiis Rom. III, 13. 14. 15. agunt. Qvam proinde sententiam or- 4.
thodoxam. B. Gerhardus, in Locis B. Balduin. de peccat. origin. §. LXXV. B. Affelmannus in Thesibus de peccato Originis. B. Hulsemannus Breviar. Cap. V. B. Henr. Eckhardus Tom. II. Dispp. Giess. disp. XII. §. 88. defendunt. Idem ex Calvinianis Theologis, quos in 5.
hâc materia Pajonianis meritò opponimus, Abrahamus Ramburtius sentit & reliqui ferè omnes, quamvis nonnulli etiam, nescio quid ingenii & acuminis hic quærant. Nam Ramburtius graviter & aperte inquit. (a) *Hominem interius mutatum, tum quoad corpus &c. clamat experientia: corpus sanguinibus animam prægravat: homo sibi ipsi est molestus: Mala, quæ corpus infestant enumeratu neq; sunt facilia, ne-*

 que

(a) *Thes. de Peccati pœnis. §. V.*

6. *qve necessaria &c.* Hæc Ramburtius. Cui Pajonius apertè propemodum contradixit, neque tamen apud ipsos asseclas suos fidem hujus rei nactus, qui ex adverso corpus maximè & primariò corruptum, ac omnes reliqvas in homine corruptionis notas originem
7. hinc trahere affirmant. Ea sanè, qvæ ex Pajonii hypothesibus Autor Criticæ & Jurii exsculpsit ferenda vix sunt, siqvidem impotentiam, qvam vocat hominis in divinis rebus in depravatione corporis & cogitationibus perversis ob intemperiem corporis in anima exorientibus consistere statuit, forsitan ex sententia P. Martyris, qvi *peccatum origin.* inquit (*a*) *locum habere in carne tanqvam radice & principio. Deinde ex*
8. *eo fonte animam qvoq; occupare &c.* Cui sententiæ longè absurdissimæ B. Balduini argumentum (*b*) opponimus: *Non diffitemur principatum originis* P. O. *sibi vendicare animam à qva omnes actiones hominis dependent:* Per *hanc*

igitur

(*a*) *In Locis, p. 293.*
(*b*) *De Peccato Orig. §. LXXVII.*

igitur peccatum hoc in omnes vires & membra totius hominis erumpit, ut Apostolus quidem jubeat veterem hominem exui & crucifigi. Rom. VI, 6. inprimis tamen mentis transformationem & renovationem urget. Rom. XII. 2. Ephes. IV. 3. Cæteroquin ἀνακόλουθον plane & incohærens dogma hoc esse, si ad reliquas Pajonii hypotheses referatur, ecquis non videt? præsertim quando moralis, si credimus, mali origo ad corporis intemperiem omni causarum ordine inverso refertur. Adeo qvi semel divinæ certitudinis normam transgressus est, ad sanitatem ægrè ac difficulter revocatur. 9.

XXXIII. Naturæ corruptæ statum ex Pajoniana hypothesi consideravimus, restat ut ad totius Theologiæ arcem, doctrinam videlicet de hominis conversione ac reparatione nos conferamus. Quod dum facimus ratio nobis- 1. tùm subjecti convertendi, tum ipsius conversionis, tum causæ conversionem producentis, habenda, ac unius cujusque consideratio ex Sacris Literis instituen- 2.

3. da, est. Ad subjectum igitur convertendum quod attinet in eo τρεσβλέσι Pajonii sectatores, quòd sufficientes homini ad conversionem, hoc est, prout illi explicant, ad operationem divini verbi salutarem admittendam vires
4. inesse sentiunt. Unde Pajonius impotentiam qvidem originalem ad bonum cognoscendum facilè admittit, eam tamen ita comparatam esse statuit, ut sanari sine ἀμέσῳ DEI concursu facilè possit, vi rationum scilicet & argumentorum moventium (motiva barbarè vocant) qvibus mens nostra quodammodo excitetur, recensente ex Pajonii MSStis Spanhemiô. (a) Rationes Pajo-
5. nisticæ hujus opinionis ex iis, qvæ anteà diximus, ad oculum patent. Cum enim DEUM in rebus creatis nihil planè ἀμέσως operari, nec gratiam infundere autument, quâ quæso ratione corruptus hominis animus ex datâ hypothesi fidem habere iis, quæ in Scriptura habentur, aut ejusdem operationes admittere qveat, nisi animo humano

(a) *Elench. Controvers.*

no ἀναδεκτικὴ qvædam & recipiens qualitas tribuatur, cujus ope totum conversionis negotium manifestè demonstrari possit. Jam verò cum hypothesin hanc superius ex Sacro Codice prolixe refutaverimus, meritò hîc prolixiori opera supersedemus. 6.

XXXIV. Illud verò pernicioſissimum & gehennâ dignum dogma est quod Papino, (aut qvisqvis Critices Juris (a) Auctor est,) auctor veræ ideæ gratiæ immediatæ Arbussus tribuit, pro certò scilicet illum cum reliquis opinionis suæ sociis affirmare, *plus homini inesse virium, qvàm ad totum salutis negotium requiratur.* Egregium verò Emblema, & Pelagio redivivo apprimè dignum! quô doctrina de lapsu hominis, originis peccato, libero arbitrio, viribus humanis, & merito CHRISTI, totumque adeò Christianæ fidei fundamentum funditùs evertitur. 1. Nos e- 2. qvidem, cùm blasphemam hanc thesin nemo non, qui CHRISTI nomen sine fuco colit, ex animo detestetur, facilè hanc

(a) *La juste Idée.*

hanc Anagyrin mittimus, facturi, quod Cato olim lupanari viso feciſſe dicitur, qvi citatô curſu præteriens : Eamus, inquit, nam vel ſolum tam infamis loci aërem vir bonus abominatur.

1. XXXV. Frid. Spanhemius in Elencho controverſiarum ex Pajonii MSStis recenſet, Pajonum in ea opinione fuiſſe, qvæ doceret, *animam noſtram utpote rationalem, non moveri poſſe niſi impreſſione*, ut loquitur, *rationali*, ſive oblatione objecti, cujus tanta vis ac ἐνέργεια ſit, ut argumentorum ponderibus intellectum ad admittenda illa ſatis idoneum, ſine ulteriori principis cauſæ influxus aut proxima operatione movere poſſit.

2. Rationes hujus Theſeos ex hypotheſi prima de concurſu divinô, & altera de converſione hominis ἐμυέσως facta pe-

3. tendas eſſe ecquis non videt? Qvarum primam cum nuperrimè confutaverimus, poſteriorem brevi etiam aggreſſuri levis hos armaturæ milites nihil mo-

4. ramur. Interea ne ἀσύμβολος planè hæc Theſis recedat, age Theologi Calviniani Celeberrimi, Joh. Prideoſii verba

verba Pajonianorũ antecessoribus Jesuitis ἐξ ἐναντίας opposita adjiciamus, quandoquidem Theologorum olim Britannicorum consensum jactitarunt: *Ut moralis tantum suasio ex objecto congruo proposito*, inquit (a) *quæ sit causa solùm allieiens, non efficiens, infallibiliter conversionem operaretur, manente tamen semper in convertendo arbitrio ad oppositum, fermentum ducimus esse mutuatum ex Semipelagianismi massa, à qua nobis sollicitè est cavendum. Nam quis non videt suasionem istam, potentiam & vires præsupponere, præstandi id quod suadetur, in eo qui suadetur, quem Scriptura tamen cœcum, surdum, mortuum convertenti objicit. Videant autem novi isti declamatores, quâ arreptâ occasione, aut medullâ suadæ, cœco ut videat, surdo ut audiat, mortuo ut vivat, non adhibitis aliis mediis persuadeant. Adde, quòd si ultra moralem suasionem, efficacia gratiæ non extendatur, non intelligo, quid plus conferat DEUS ad peccatoris conversionem, quàm ad subver-*

(a) *Prideaux Lect. Theol. Lect. IV, 8.*

5. *versionem diabolus.* Eâdem operâ rejicimus phrases Pajonianas ferè *συνονύμως: morali corruptioni auferendæ sufficere morale remedium* ex Jurii Tractat. Conversionem fieri debere per operationem moralem: Spiritum S. agere solum posse mediatè & remotè inflectendô. Ad conversionem idearum productionem necessario requiri. Qvæ omnes à veritatis viâ, qvàm longissimè aberrant.

1. XXXVI. Naturam hominis ante conversionem, qvantùm potui ex hypothesi Pajoniana exposui, qvænam ipsius conversionis, ac omnium actionum divinarum ad hominis salutem declinatarum natura atqve conditio sit, se-
2. cundò loco considerandum est. In qua ad rationis normam exponenda variis nostri & periculosis phrasibus utuntur, adeò ut totum conversionis negotium (operationem gratiæ vocant) morale solummodò esse, satis audacter doceant, ut ex Pajoni MSS Spanhemius in Elencho, Jurius Tractat. I. de Na-
3. tur. & Gratia cap. 1. demonstrat, Cujus

jus eqvidem opinionis suæ ut solent οἱ καρτεσιανίζοντες à Jesuitis fundamenta desumpsêre, imprimîs Bellarmino (a), cui *DEUS O. M. haud secus operari videtur, quàm si pastor ovi ramum viridem ostendat, vel parens filiolum nucibus illiceret, qvos novit certò secuturos.* Ejusdem sententiæ inter antiquiores, auctor est, Joh. Baconius Resolutus Carmelitarum Doctor & strenuus moralium actionum assertor, ut et alii, nisi procul dubio ipsius Augustini auctoritate, *(b) moralem in salutis negotio svasionem, cui liberè assentiamus,* agnoscentis. At enim nihil illos aut parum certè, Augustissimi Patris auctoritas juvat, *cum hæc utcunq; juvenis adversus Manichæorum impium principium & sinistrum fatum,* dicente Prideosio scripserit, (c) & ætate insuper provectâ contrarium libro de prædic. sanct. cap. VIII. De gratia Chtisti cap. XXIV. contra Epist. Pelagii Lib. I. cap. 19. de per-

4.

5.

(a) *Lib. I. de Gratia & Lib. Arbitr. cap.* XII.

(b) *Libr. contra. Simplician. Lib. I. quæst. 2.*

(c) *Lect. Theol. IV. 8.*

perſever. ſanctor. cap. V. de peccat. ment. & remiſſ. Libr. II. affirmaverit.

6. Amyraldus ipſe Pajonianis argumentis egregiè favens tandem demum in diverſas longè partes abit, verbisque in eam rem prolixisſimis, rationibus etiam non incongruè poſitis adverſariorum ſententiam apertâ fronte repudiat.

7. *Prohibet*, inquit (*a*), *aliquid quò minus* (operationem DEI in converſione) *propriè phyſicam exiſtimemus. Nempe omnis operatio ſit per contactum aliqvem &c.* (*b*) *Quamobrem, ſi rebus, quas non ſatis accuratè tenemus nomina imponere licet, malim iſtam operationem appellare hyperphyſicam, quàm vel MORALEM, quia non ſit per objectorum repræſentationem, vel phyſicam, quia tametſi propius accedit ad naturam actionis phyſicæ, quàm MORALIS, eſt tamen extra ambitum rerum naturalium,*

8. *neq; cum iis in omnibus conſentit.* Idem prolixè Theſ. XVII. XVIII. & inferius Theſ. XXI. atque inſequentibus agit.

Joh.

(*a*) *De Fide Theſ.* XIX.
(*b*) *Theſ. XX.*

Joh. Prideosius, loco citatô ἐπέχειν, ut videtur, amplecti constituit: Nam hæc, inquit, (a) actio an physica sit dicenda, (ut loqvuntur Dominicani) vel potius divina, supernaturalis, vel occulta, (cui fortasse aptius nomen non occurrit, sicut cautius cum Augustino nostri fere statuunt) parùm interest. Qvamvis seqventibus verbis moralem operationem planè rejiciat: *Verùm ut MORALIS tantum suasio, ex objecto congruè propositô, quæ sit causa solùm alliciens, (ut balbutire didicerunt recentiores ex Joh. Baconio) non efficiens infallibiliter conversionem operaretur &c. fermentum ducimus esse ex Semipelagianismi massa, à qva nobis sollicitè est cavendum.* P. Jurius Pajonii Antagonista tertiam & 9.
à reliqvis diversam opinionem defendit (b), cui operatio gratiæ non solùm moralis, quæ tantum agat per præsentationem objecti & per modum sollicitationis, sed & physica, qvæ verè in modum facultatis agentis influat, & hanc intus impellat ac moveat, appellatur.

(a) *Lect. Theol. IV. 8.*

(b) *Tractat. II. de nat. & grat.*

10. tur. Nam ſicut, inquit, manus rotam & corpus aliud corpus, ita & Spiritus alium ſpiritum phyſicè, id eſt realiter impellit.

1. XXXVII. Deniqve qvod ad ſententiam purioris Eccleſiæ Evangelicæ attinet, principiò notamus, controverſiam illam ex eorum numero eſſe, qvæ dicente Auguſtino (a) *melius ſciuntur neſciendo*, ſiquidem, ut Tacitus de Germanis (b) loquitur, *ſanctius eſt de actis Dei credere, qvàm ſcire*, qvo factum eſt, ut ab Eccleſiæ noſtræ doctoribus nuſpiam hæc controverſia, quòd ego qvidem ſciam,
2. ex inſtituto pertractata ſit. Id tamen ex ſacris literis certò conſtat (1) gratiæ operationem & converſionem non eſſe opus morale ſolùm, in eo ſcilicet ſenſu, qvô vocabulum hoc ſupra explicavimus, (qvatenus moraliter is agit, qvi non proximè ad actionem concurrat, ſed agentem remotè impellit) cùm ea ratione DEus ſalutis noſtræ & converſionis moralis tantum cauſa, homo ex

(a) *Lib.* II. *de Ord.*

(b) *De morib. Germ.*

ex adverſo phyſica & realis fieret.
Conſtat (2) ſi vox phyſica operatio- 3.
nis non ratione ſuæ conſtitutionis &
naturæ, ſed productionis reſpectu ſu-
matur (quô ſenſu phyſicè, ſive ut cauſa
phyſica operatur is, qvi reapſe in ef-
fectum influit per realem ejus produ-
ctionem) operationem gratiæ omninò
phyſicam, ſi morali opponatur h.e. rea-
lem, non verò naturalem eſſe. Ita ſanè 4.
Sacra Scriptura divinas has actiones
deſcribens, *DEum*, inquit: *corda ape-
rire*, Act. XVI, 14. *eadem immutare*,
circumcidere, *emollire*, Deut. XXX. 6.
II, Paral. XXXIV, 27. Luc. I, 17. *auferre corda lapidea & carnea dare* Ezech.
XI. 19. XXXVI, 36. *corda nova creare*
Pſalm. LI, 19. *excitare à mortuis* Eph.
V, 14. verbisq; adeò phyſicis h. e. rea-
lem, non moralem ſolùm operationem
indicantibus utitur, Interim tamen 5.
(3) ſi *phyſica & moralis operatio dicantur ex parte effectus vel cauſæ præciſè ſpectando eſſentias earum, ut operatio phyſica dicatur quæ producat aliquid phyſicum, veluti equum, vel motum. &c.*

Et

Et moralis, quæ producat aliquid ad mores attinens, veluti virtutem vel vitium, ex mente B. Scheibleri, (*a*) itemq; physica illa dicatur, quæ physicè agit, hoc est, à causis physicis oritur, illarum virtute effectus producit, & ad effectum naturalem tendit, negamus & pernegamus operationem gratiæ physicam esse, quæ nec à causis physicis oritur, nec naturalitèr agit, nec effectum talem producit, sed ab hyperphysica potiùs causa originem trahens, simili ratione agit & ad effectum hyperphysi-
6. cum tendit. Unde (4) rejecta illâ Philosophorum distinctione, omniqve morali & physica in sensu posteriori operatione excluſa, operari DEum dicimus, non ex instituto naturæ, nec ratione influxus moralis, qvod utrumqve divinæ potentiæ repugnat, sed hyperphysicῶς & spiritualiter, adeò ut ipsa causa non moralis, aut physica voce ἀκριβῶς sumpta sed ὑπερφυσικὴ & spiritualis efficiens sit, ejusdem porro gratioſæ actiones ex spiritualium & divinarum

(*a*) *Metaph. Libr. I. cap. XXII.*

rum genere, indeq; etiam effectus, qvem producit in homine nihil sit naturale, nihil morale, sed spirituale aliqvid & divinum. Hujus verò divinæ actionis 7.
natura cum comprehendi humana ratione neqveat, ipsô servatore affirmante Joh. III, 7.8. vento similis, placuit ὑπερφυσικὴν eam & spiritualem apellare qvandoquidem ὑπὲρ φύσιν est, & spiritualis circumcisionis nomine sœpenumero venit, Joël. II, 12, Actor. XXVI, 18. Jac. V. 20, & à Spiritu veritatis insuper originem proximam habet. Unicum obstat adversæ 8.
partis ratiocinium, qvo minus confectô totô hôc negotiô ad alia progredi liceat. Objiciunt enim malo morali non nisi remedium morale mederi posse, qvoniam inter morbum atqve remedium ratio reciproca intercedere semper debeat. Unde, (licet ipsi argumento 9.
per negationem antecedentis vena incidi haud difficulter qveat) id tamen certo confici videtur, falso a nobis remedium hoc spirituale vocari, cum malum illud cui resistat, physicum &

naturale

naturale cũ B. Luthero supra (a) appella-
10. verimus. Cui adversariorum argumento, ut obviam eatur, notamus primò regulam hanc de proportione, ut inqviunt morbi & remedii tam firmam non esse, ut exceptionem non admittat.
11. Nam ex Historiarum monumentis & experientiâ constat, plurimos mœrore penitus confectos non ex Melancholia, sed aliis rebus purè moralibus orto, naturalibus remediis & medicamentis peritissimorum hominum ad sanitatem reductos; Constat nonnullos sontico morbo decumbentes, oblatá nisus & delectationis materia, aliisqve remediis, mora-
12. libus convaluisse. Similter Nicephorus refert, (b) (ut complura exempla ejusdem sententiæ omittam,) Constantinum M. Augustum lepra in baptismô liberatum esse, qvamvis B. Affelmannus (c) *Constantini*, ut inqvit, *lepram & ab ea per baptismum factam liberationem pro fabula*

(a) §. XXXI.
(b) *Lib.* VII. *Histor. cap.* XIII.
(c) *Part.* I. *Syntagm. Disp.* XXVIII. πρόθεμ. 9.

fabula habeat. Ac prætereà res ipsa do- 13.
cet principium hoc commune, cum virtutem s. remedium morbo æqvale ponat, majorem tamen & nobiliorem virtutem neqvaqvam excludere, ut adeò sufficiens qvidem auferendo morbo æqvale remedium sit, nobilius tamen nunqvam rejiciatur, qvâ ratione ad delendum morbum physicum physicũ etiã remedium sufficit, ita tamen ut supernaturalis virtus non excludatur, cujus ope DEus ἀμέσως idem & majore qvoqve qvàm hominum qvisqve remediis suis malo apprimè convenientibus præstare potest. Deniqve, cum ex nostratium Thelogorum 14.
scitis Sacræ Scripturæ omnino congruis pateat, in baptismo & conversone *peccatũ originis qvoad culpam & pœnam tolli atqve deleri, hoc est secundum scripturæ sensum tegi & non imputari, non ut non sit, sed ne imputetur, pravam item concupiscentiam omnibus hominibus innatam etiam verè Renatis usqve ad mortem inhærere tanqvam verè & propriè sic dictum peccatum,* (a) qvod con-

G tra

(a) *Thes. de Bapt. Qvæst. III.*

tra Becani ineptias solidè defendit B. Frid. Balduinus, facilè concludo, DEum, cum ex immensa sua potentia extra ordinem remedio spirituali malum naturale sive correptionem virium naturæ delere posset, ordinem nihilominus à seipso præscriptum observare, & remedio hoc spirituali non ipsam culpam, corruptionem illam totius naturæ perditissimam auferre, sed qvòd in illa spirituale est, reatum scilic. & pœnam debitam abolere, corruptionem ipsam solum debilitare, donec corporis & animæ unione soluta adeòqve naturali (ὡς ἐπεῖν) remedio illa ipsa etiam penitus auferatur, totusqve adeò homo purus ac integer in pantocritico illo
15. die resurgat. Postremò notandum mihi est, qvod semper observo. me vocabulis morbi naturalis, remedii naturalis nec ad Flacianorum errores, nec ad Pajonianorum tricas vel minimum respicere, qvibus in eò semper significatu, qvem suprà constitui ac in oppositione ad morale, qvandoqvidem rerum occasio id postulat, impræsenti utor.

XXXVIII.

XXXVIII. Seqvitur ut de fide, instrumento conversionis ex hominis parte, similiter agamus. De qvâ qvid sentiant nostri non difficulter tum ex iis, qvæ ante dicta sunt, tum ex usitatâ eorum phrasi constat, qvâ *fidem, sensum rerum divinarum, nihil aliud esse, qvam earum cognitionem* autumant, sæpius citatô Juriô teste. (*a*) Sensum, ut arbitror, rerum divinarum fidem vocant, tum qvod sola sentiat, sive intelligat objecta divina, & assensum iis præbeat, tum qvòd gaudium spiritus & fiducia in Deum, qvibus divina mysteria sentimus, fidei conveniant, qvô sensu priori maximè Bonaventura in enumeratione decem fidei significationum, (*b*) sumi illam qvandoqve inqvit pro assensu, aut cognitione comprehensionis, ac ipse etiam B. Balth. Meisnerus (*c*) persvasionem firmam fidei vocabulo denotari

G 2

(*a*) *Tract. II. de Nat. &c.*

(*b*) *Libr. III sentent. dist.* 23.

(*c*) *Thes. de fide justific.* §. *XVI.*

notari concedit, de cætero Amyraldi
3. discipulum hic denuò agnoscimus pollicem illi crebro prementem, & hoc etiam loco ejus placita approbantem. Ita enim Amyraldus: (a) *Actus ille credendi, qvia est actus intellectus nostri objectum extrinsecus oblatum apprehendentis, non videtur esse usque adeò cognitu difficilis. Qvando igitur credere nihil aliud est, qvam esse persvasum de veritate alicujus rei, non alia de causâ credimus, nisi qvod veritatem in objecto fulgentem cernimus apertè & alias ideas, qvibus Evangelium diximus esse designatum, agnoscimus, & qvales sunt in se, tales eas pervidemus.* Idem aliò locò (b) *fidem virtutem intellectualem vocat, qvæ non modo menti theoreticæ, sed etiam practicæ penitus insidet.* Nec aliud ait, qvando satis prolixe ibi evincit fidem solùm in in-
4. tellectu non in voluntate hærere, qvâ ratione fiduciam & πληροφοριαν fidei haud obscu-

(a) *de fidei causa effic.*
§. XVI.
(b) *de natura fidei*
§. XXXV.

obscure à commercio fidei excludit. Unde facilis ad hoc ζήτημα responsio illi 5. suppetit, qvi orthodoxæ fidei ductum κατὰ πόδα sequitur. Siqvidem ex sacris literis certissime constat, tres fidei partes esse, qvarum priores duæ notitia & assensus intellectui tertia fiducia scilicet voluntati omnium consensu inhæreat, qvàm ὑπόστασιν & παῤῥησίας ac πληροφορίαν fidei B. Balduinus in Thes. de Justitia fidei (a) contra pontificios accuratè defendit, adeò, ut Balthas. Meisnero affirmante, *fidei vocabulam imprimis fiduciam aut confidentiam denotet, atqve hoc sensu usurpetur passim ab Apostolis, qvando hominem (b) fide justificari scribunt.* Præterea, si vel maximè de sensu rerum divinarum generatim loqvi qvis velit, totô tamen cœlô aberrabit, si solâ illum cognitione, quæ in improbos etiam cadit, finiri & determinari credat. 6.

(a) §. LXXV. &c.
(b) Thes. de Fide Cap. I.

1. XXXIX. Jam igitur portum è propinqvô videmus, vela lubenter contracturi, nisi sceptrum & ἄγαλμα regni Pajoniani, invictum illud & fortissimum gratiæ ἐμμέσου munimentum nobis obstaret, ad quod expugnandum, omnes nobis animi vires intra revocandæ sunt, uti unanimi sensu & labore, fundamentum ipsum & basin totius ædificii gnaviter e-
2. vertamus. Adesto igitur æternum Numen, & gratiæ Tuæ divinæ concursum contra quoslibet ejusdem adversarios Pelagianizantes, constanter adsere. Nihil in nobis virium adest, qvod tantis hostium conatibus resistere possit, Tu igitur, sanctissime Spiritus, mentem & calamum dirige, lingvam confirma, ut virtutis Tuæ efficacissimæ Majestas, contra impiorum hominum fraudes atque falla-
3. cias validè adstruatur. Agite verò Pajoniani fratres vobiscum in præsenti agendum mihi est, adeste, & si quid frontis ingenuæ vobis inest manifestis
4. Scripturæ oraculis obfirmatò contradicite.

cite. Principiò sententia vestra quæ 4.
sit ex Magistri & Prophetæ vestri Pajo-
nii MSStis publicitus constat enu-
merante in Elencho Controversiarum
Frider. Spanhemio. Is enim, teste 5.
Spanhemio docuit, conversionem ho-
minis tantummodò rationalem esse in
genere causæ objectivæ, qvâ Spiritus
Sanct. agat qvidem efficaciter in men-
tes eas illuminandô, & in corda ac vo-
luntates eas potenter inflectendô, sed
operatione tantùm mediatâ per verbum
& alia externa media, nempe vi & effi-
cacia rationum, occasionum & argu-
mentorum moventium, qvæ objecti-
vè offerantur animæ nostræ in illo ipso
verbo DEI, & promissionibus, castiga-
tionibus, minis, Judiciis, exemplis, o-
lim etiam miraculis eam necessario de-
terminent. Unde ex ipsius hypothesi 6.
Gratia & Auxilium DEI in conversio-
ne agit non immediatè, hoc est proxi-
mè, sed mediatè & remotè, vi primæ
hyotheseos ex qvâ infertur, DEUM
verbo suo in prima ejus productione

sufficientes divinæ ἐνεργείας vires indidisse quibus sine ulteriori, ἀμέσῳ & proximo DEI concursu, ad conversionem
7. hominis uti posset. Qvô sensu Pajoniana hæc Thesis omninò repudianda est. Neque verò eò deducenda res est, ut cum Calvinianis omnes salutis instrumento vires denegemus, gratiamque DEI efficacem ἀμέσως sensu Calviniano
8. operam concedamus. Siquidem illi hâc solùm ratione Pajonio summis viribus contradixerunt, qvod viderent verbum ab illo divinum, ejusqvè vires egregiè deprædicari, cum antea non minùs ac Sacramenta signum ipsis audiret, idemqvè dogma de gratia efficaci & interna vocatione solis electis propria potissimum everti: Ac proinde ut accuratè hoc
9. loco doctrina orthodoxa à qvibusvis adversantium corruptelis dignoscatur, licebit scholasticis quibusdam & Philosophico vocabulis pro temporis ratione
10. uti. Nam cum apud Philosophos actio immediata alia ratione causæ secundæ vel etiam instrumenti, qvalis actio ignis cale-

calefacientis est, alia ratione virtutis principalis & primariò vocetur, qvalis actio fabri ferrarii est ope mallei, sed virtute nulla principali intercedentem ferrum efformantis, qvod barbare distinctione inter immediationem suppositi & virtutis facta efferunt Scholasticæ Philosophiæ dictatores; concedimus, actionem gratiæ divinæ, ut & concursum divinum generatim sumptum, de qvo suprà egimus ἄμεσον esse ac dici ratione virtutis principalis intermediæ, ut adeò DEUM affirmemus agere hic virtute propria, nec diversum esse ab illa verbi divini; utpote organi aut causarum etiam secundarum virtutes, qvæ subordinatæ ac dependentes sunt, mediatam verò vocamus ratione instrumenti ac organi, verbi & Sacramentorum, ut & concursum ratione causæ secundæ, secus ac Calvinianis hoc loco videtur. Pajonio ipsi pollicem premunt ejus asseclæ, verbis licet diversis, quorum alii solam in conversione Scripturam sine

II.

§. XX.

Spiritu S. agere teste Jurio, alii(a) planè ad Amyraldi genium cum auctore Critices Jurii distinguunt inter dispositionem ad recipiendam persvasionem, quam DEO vel ἰμμέσως agenti tribuunt, & ipsum cognitionis actum, quem ex revelatione immediata nunquam oriri, sed ex Scripturæ lectione, sine DEI concursu pro-
12. venire credunt. Hinc est qvod DEUM *modaliter*, ut loquuntur operari dicant, ad modum scilicet causæ moralis, qvod ineptissimum χρησφύγετον superius[b] re-
13. futatum constat. Tota res huc deniq; redit, ut secundum Pajonii hypothesin, DEUS intellectum hominis corruptum redintegraturus vi æternæ prædestinationis verbum illi offerat, idq; variè dispositum, variis insuper vitæ, temperamenti, afflictionum & ingenii ac reliqvorum organorũ circũstantiis, prout, movere vel non movere hominem debet, variè tem-
14. peratum. Et hic demum liberè tum verbũ suum, tum hominem ipsum agere permittit,

(a) *Tract. II.*
(b) §. XIII.

mittit, adeò ut verbum propria virtute, auditum abs homine & cognitum argumentorum & rationum ponderibus hominem rationis usu prædictum aggrediatur, eumqve deinceps, si circumstantiarum omnium debita ratio adsit, convincat, & assensum, planè ad modum dogmatis Philosophici, producat, unde id quod hac ratione conficitur, fidem, ipsam verò actionem operationem Gratiæ & conversionem vocant.

XL. Rationes & fulcra opinionis hujus alia Pajonius, alia Pajoniani afferunt, qvæ singula DEI auxiliô breviter & succinctè refutabimus. Pajonii argumenta ex ipsius MSS. Spanhemius In Elencho Select. Controvers. adducit, & sunt ferè seqventia. (1) animæ nostræ rationalis hanc esse naturam atqve conditionem, ut moveri se non patiatur nisi morali impulsu rationi hominis & intellectui penitus congruo; hanc autem moralem motionem non alia ratione, nisi vi argu-

mentorum & rationum efficacium fieri
posse, consequens ergo esse, si anima
ἀμέσως à DEO moveatur, actionem
hanc cœcam, brutam & irrationalem
3. futuram, (2) malum ipsum & impo-
tentiam hominis moralem solùm esse,
adeoqve rationum ponderibus auferi
facilè posse, (3) ex recepta secus
sentientium hypothesi, secuturum, qvod
Scriptura planè ἀνεργον & otiosa hic
sit, nihilqve in conversione operetur (4) ex orthodoxorum sententia
DEUM operaturum in animam, ut in
truncum, stipitem & lapidem, sine in-
terventu rationis, & organorum intel-
ligentium. (5) Involuntariam fore ho-
minis conversionem, utpote qvæ phy-
sico & animæ minus congruo impulsu
fiat. (6) ex operatione insuper, ἀμέσῳ
Spiritus Sancti sequi revelationem
extra ordinem factam, Enthusiasmum,
visiones, Spiritum fanaticum, qvin i-
mò omnes Anabaptistarum & Quacke-
rorum sectas facili negotio defendi posse,

neqve

neqve obstare aliquid, qvô minus Mahomedanus etiam similem influxum Dei proximum & immediatum jactare possit.

XLI. Hactenus Pajonii ratiocinia, ad qvorum singula ordine respondebimus. Ad (1) qvidem qvod attinet, in universum non concedimus, qvod anima non nisi motu morali moveri à DEO possit. Nam præterqvam qvòd divinæ potentiæ dictum hoc ex diametro opponatur, exemplis qvoqve constat, sæpenumero DEUM extra ordinem impulsu ἀμέσῳ animam humanam movisse. Ipsam autem moralem actionem, qvalem auctor hic describit locum in conversionis negotiô planè nullum invenire, supra demonstravimus. Interim tamen non negamus, DEUM ordinariò intellectus humani rationem habere, nec cœcâ aut brutâ sive physicâ motione strictè sic dictâ illum permovere, qvin potius spirituali motione & φωτισμῷ πνευματικῷ utitur animæ humanæ, qvæ ipsa Spiritus est non incongruo, qvi con-

1.

2.

3.

4.

sistit in hyperphysica Spiritus Sancti & donorum ejusdem inhabitatione, illuminatione mentis & voluntatis directione per verbum facta, adeoqve nec moralis est in sola persvasione, nec physica in motu menti humanæ contrario consistens, sed divina potius & spiritualis, clarissimis divinæ Majestatis radiis, & ἐνεργείᾳ efficacissima per verbum se exserens, ac in ipso homine persvasionem non moralem, sed divinam qvæ fides dicitur sensu orthodoxô, ineffa-
5. bili ratione producens. Utrum verò moralis actio non aliô modô, qvàm rationum & argumentorum ponderibus fiat, nostrûm non est prolixius disqvirere, Philosophi, qvid hujus rei inter-
6. sit, videant. Nos ad ea qvæ suprà (a) de ideis in conversione diximus, cupidum lectorem sponte remittimus, ne cram-
7. be repetita nauseam illi moveat. Qvod (2) argumentum spectat, notamus id jam suprà (b) à nobis ex verbo divinô refuta-

(a) §. XIX. (b) §. XXXI.

futatum, unde non equidem nos, qvi contrarium affirmamus, sed Calvinianos qvosdam id statuentes ferit, qvos cùm suprà datâ operâ notaverimus, vela hic contrahere & ad alia progredi licebit.

XLII. Tertium argumentum, si ex orthodoxa nostrorum sententia, cui illud contradicit, loqvi velimus, omninò non cohæret. Nos enim non denegamus verbo virtutem nec ἐνέργειαν ejusdem imminuimus, siqvidem verbum ubique in conversione aut DEUM potius per verbum operari affirmamus. Firmiùs tamen & fortius Calvinianos hoc argumentum constringit, ex qvorum hypothesibus de verbo externo Scripturæ & verbo divino omnis ἐνέργεια & divina convincendi vis luculenter detrahitur. Postremò funiculos mihi ex arena Pajonius nectere videtur, qvando ita argumentatur: Verbum DEI habet internam & efficacem agendi virtutem, seqvitur ergò hanc virtutem principa- 1. 2. 3.

4. cipalem & in agendo independentem esse. Qvæ argumenti συνάφεια? Qvartum Pajonii raciocinium sæpenumerò superiùs (a) refutatum ulteriori disqvisitione non eget. Neqve verò qvintum magis nos urget, cujus connexio nostræ sententiæ nihil planè detrahit. Siqvidem hominis voluntas in conversione, non ut efficiens, sed subjecti potiùs ratione se habet, concedimus enim hominem ad conversionem suam non cogi, sed moveri, ita tamen, ut 6. voluntatem hominis aliquid conferre omnino negemus. Præterea negamus divinam hanc operationem citra hominis voluntatem fieri, qvæ licet nihil etiam rebus divinis sani cogitare aut velle possit: Gen. VIII, 21, Jerem. XVII 9. Gal. V, 17. Rom. VIII, 7. VII, 14. 22. 23. per verbum tamen à Spiritu S. movetur & potenter inflectitur, remotò omni physico & cogente impulsu.

5.

XLIII.

(a) §. XL.

XLIII. Video idem mihi sæpenumero repetendum esse, & id qvidem adversariorum njuria, qvibus crambe sua etiam recocta melius adhuc sapit. Nam qvod semel attulerat argumentum Pajonius contra proximum DEI in conversionem influxum, idem sextô demum locô repetit, & novo velut pallio vestitum pro recenti venditat. Enthu siasmum ex revelatione nostra immediata seqvi putat: id verò planè contra ipsius rei ac veritatis testimonium. Siqvidem per verbum DEUM utiqve agere, qvod nunqvam in Enthusiasmo fieri solet apertè fatemur. Enthusiasticos enim afflatus illos vocamus qvos præter ordinem, ex physicô, ἀμέσως hoc est sine ullo verbi, vel Sacramentorum ope, unà cum ἐκστάσει qvadam & violenta animi commotione fiunt. Judicent ergò rerum periti, & perspectis utriusqve rationibus enuncient, utrum concursus ille noster & influxus divinus cum Enthusiasmo qvicqvam commune habeat. Eqvidem si veritatem

1.

2.

3.

4.

tatem seqvi, qvod bonos viros decet in hoc negotio voluerint ad sententiam, credo, nostram primô qvoqve tempore accedent, qvandoqvidem nec operationem sine instrumento aut extra ordinẽ factam, nec ἔκστασιν qvandam animi &
5. violentos motus hic admittimus. Calviniani tamen, qvibus multa in conversione DEUS planè ἀμέσως agit, argumenti hujus Pajoniani aculeum tàm facilè non effugient, licet plurimi eorum, ut fere solent, magis hodiè vulpem tegant omnemqve Enthusiasmi notam amoliri à se qvibusvis laboribus co-
6. nentur. Sanè Auctor veræ Ideæ Gratiæ immed. (a) summô conatu in Pajonianos invehitur, & habitum infusum cum Enthusiasmo ab illis confundi prolixè demonstrat, adeò ut operationem Dei immediatã, sive habitũ infusum operationẽ gratiæ esse dicat, qvæ verbi prædicationẽ comitetur, cum contrà Enthusiasmus sine verbo fiat, & animæ ἔκστασιν excluso propemodum usu rationis secum ferat. Qvâ de re qvàm benè Calvinianis inter

se

(a) *La Juste Idée. pag. 75. 6.*

se invicem conveniat, vel ex eo liqvet, qvod Cartesio adhærentes, antiqvæ sententiæ tenaciores ad Hulsii exemplum Libro de prncip. credendi Enthusiasmi etiam reos faciant.

XLIII. Hactenùs Pajonii rationes 1. methodum ejusdem secuti breviter refutavimus, seqvitur, ut qvid nepos ejusdem Papinus proferat, similiter videamus. Rationibus ille & auctoritatibus pugnat, sed utrisqve satis, ut arbitror debilibus atqve infirmis. Nam gratiæ, in- 2. quit, operatio, si immediata esset(a) seqveretur inde habitus cognitionis infundi, & revelationes novas fieri, qvod absurdissimum & planè inconveniens esse, liqvidò patet. Auctor Veræ ideæ (b) 3. ut Papiniano huic argumento respondeat, discrimen inter dispositionem ad recipiendam persvasionem, & ipsum cognitionis actum instituit, ac dispositionem à DEO ἀμέσως produci spontè qvidem concedit, ipsum tamen cognitionis actũ divini verbi operâ pcoduci affirmat. Cui Calvi-

(a) *In Critica Iurii.*
(b) *La juste Idée pag. 91.*

4. Calvinianæ thesi subscribere neqvaqvam possumus cum aliud nos solida Declaratio Articulorum ex verbo DEi doceat, qvæ *ab alterâ*, inqvit, (a) *certe magnâ severitate & piô zelô redarguendi sunt Enthusiastæ, neqve in Ecclesia DEI ferendi sunt, qvi somniant, Deum sine omnibus mediis, sine auditione verbi divini & sine usu Sacramentorum hominem ad se trahere* ILLVMINARE, *justificare & salvum facere.* Constat ergò ipsam qvoq; mentis illuminationem Deo per verbum agenti tribuendam, adeoq; ἀμέσως neqvaqvam produci, nec habitus cognitionis infundi, & revelationes extra ordinem fieri qvòd ex orthodoxa sententia nullô planè modo deduci pot-
5. est. Alterum argumentum à novitate dogmatis deducit, apertè affirmans, opinionem suam antiqvissimam & orthodoxâ
6. longè antiquiorem esse. Qvô locô concedimus qvidem Pelagium profanum illum ut à Vincentio Lirinensi appellatur sanctissimorum mysteriorum corruptorem idem ferè Seculo post Christum natum

(a) *Artic. II. de Liber. Arbitr.*

tum IV. statuisse, ut ex Joh. Latii Commentar. de Pelagianis & Semipelagianis. (a) Schediasmate utilissimo ab Antonio Thysio Theologo Leidensi edito, Vadiani Libro de hæresi Pelagiana, Georgii Cassandri Epistola de Pelagio & Vossii Historia Pelagiana vasto & erudito opere, abundè liqvet. Eant igitur & de antiquitate infesti sui dogmatis glorientur, modò ad augendum illud decus suum Pelagium se seqvi, hunc auctorem doctrinæ suæ se colere ac venerari apertè fateantur. Longè verò antiqvior orthodoxa nostra sententia est, qvam ex Sacris etiam literis liqvidò deductam contra Pelagianos Ecclesia Christi gravissimè semper & fortissimè propugnavit. Concilii Arausicani Canones feliciſſimè totam rem dijudicant, qvorum sequentes præ reliqvis huc trahendos duximus: (b) *Si qvis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, non per gratiæ donum, id est* 7. 8. 9.

(a) *Lib. II.*
(b) *Canon. V.*

est inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate, ad pietatem. (a) *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare & eligere, sive salutari, hoc est Evangelizanti prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem DEI in Evangelio dicentis:* Sine me nihil potestis facere, (b) *& illud Apostoli* (c): numquid idonei sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi à nobis? sed sufficientia nostra ex DEO est. Et canone præcedenti, (d) *Si quis sine gratia DEI, credentibus, volentibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus, nobis, misericordiam dicit conferri; non autem divini.*

(a) *Canon. VII.*
(b) *Ioh, XV.*
(c) *1. Cor. III.*
(d) *Canon. VI.*

divinitus ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem Spiritus Sancti in nobis fieri confitetur &c. reſiſtit Apoſtolo dicenti: (a) Qvid habes, qvod non accepiſti: & Gratiâ DEI ſum id, qvod ſum. Qvod canone etiam IV. de purgatione, ſive remiſſione peccatorum affirmatur.

XLV. Qvid Pajonius & ejus ſeqvaces in arduis his fidei myſteriis enuncient, ex iis, qvæ antea dixi, ſatis conſtare judico, nunc antidotum qværendum nobis eſt, ac orthodoxæ doctrinæ elegantia opponenda tam infami ψευδοδοξίας monſtro. In converſionis igitur negotio κατὰ γραμμὴν deſcribendo diſertiſſimis ὀρθοδοξοτάτῳ Theologi B. Selnecceri verbis utamur neceſſe eſt, qvi totum illud & tam profundum ſalutis noſtræ myſterium tanta cum elegantia, tantâ rerum & verborum cum evidentia exponit, ut (qvod de Plauto & Gratiis

1.

2.

(a) 1. Cor. XV.

tiis dicebant veteres) Apostoli, arbitror ipsi in explicanda hac re, ejusdem uti verbis nunquàm sint detrectaturi:

3. *Cæterum*, inqvit, (a) *qvô ordine procedat & fiat hominis conversio, sacræ literæ ostendunt. Primum prædicatur Legis doctrina, accusat universos & singulos peccati, & damnans nos propter naturæ pravitatem. Hâc doctrina Spiritus S. pungit & ferit cor, ut agnitô peccato & irâ DEI expaveſcat, ut de se deqve operibus ac meritis sui & omnium hominum desperet, ac petat consilium vitæ ac salutis æternæ. Secundò ostenditur filius DEI Lux hominum, qværens ipse nos perditas oves voce Evangelii, qvæ est; venite ad me omnes. Huic voci, cui & usum Sacramentorum adjungimus, tu non debes repugnare, qvia nulla sit conversio, qvamdiu homo verbo DEI repugnat. Adest autem voci Evangelii Spiritus S. immutabiliter, docens movens & trahens corda*

(a) *Parte I. Pædagogia: p. 340.*

corda ad veram assensionem & fidem, cùm justificantem, (quæ est gratiæ, id est imputatio justitiæ, in qua homo habet se verè passivè) tum efficacem & vivam, unam tamen eandemque fidem, quæ est doni S. in qua homo se non habet amplius purè passivè, sed est σύνεργος factus, ex veteri carnali homine, novus homo spiritualis, ex DEo natus.

XLVI. Evidentissimis verò scripturæ testimoniis orthodoxam sententiam comprobare non difficile illi erit, qvi non planè in eadem ἀναλφάβητος, qvod ajunt, & hospes est. Nam qvid evidentius divinô apud Marcum oraculo, (a) Ἀπόστολοι ἐξελθόντες ἐκήρυξαν πανταχοῦ, τοῦ κυρίου συνεργοῦντος, καὶ τὸν λόγον βεβαιοῦντος, διὰ τῶν ἐπακολουθούντων σημείων. Ego, inqvit Paulus Gentium doctor, (b) ἐφύτευσα, Ἀπολλὼς ἐπότισεν. ἀλλ' ὁ θεὸς ἠύξανεν. ὥστε οὔτε ὁ φυτεύων ἐστίτι, οὔτε ὁ ποτίζων, ἀλλ' ὁ αὐξάνων θεός.

1.

2.

H

(a) Marc. XVI. 20.

(b) 1. Cor. III, 6. 7.

θεός Qvid illud Johannis: (a) Χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν, & Pauli: (b) ὁ θεός ἐστιν, ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν, itemqve Matthæi: (c) οὐκ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν, τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν. nonne rem totam apertè satis & dilucide dijudi-
4. cant? Adde insuper freqventissima Scripturæ oracula, qvæ fidem & conversionem opus DEI, Joh. VI, 29. Ezech. XI, 19. XXXVI, 26. Psalm. LI, 12. 1. Cor. IV, 7. Philipp. I, 29. Ephes. II, 8. Actor. V, 31. Devt. XXIX. 4. Matth. XIII, 11, 14. vocant, DEum operari & producere fidem Joh. VI, 29. 2. Tim. II, 25. 26. 2. Cor. V. 3. creare nos ad bona opera. Ephes. II, 10. trahere ad se, Joh. VI, 64. dona etiam divina & πνευματικὰ credentibus concedere I. Cor. XII, 3. 6. judicant, cum ipse dicente Apostolô (d) διὰ τοῦ κηρύγματος σῶσαι τοὺς πιστεύοντας.
5. Addo, qvod propriis illi gladiis facillimo

(a) Joh. XV, 5.
(b Philipp. II, 13.
(c) Matth. X, 20.
(d) 1. Cor. I, 21.

limô opere jugulari, eorumqve adeo opiniones absurdissimæ destrui possint. Cum enim ratione divinæ prædestinationis, ita distribui ἐνέργειαν divini verbi credant, ut ratione electorum ἀνίκητος & ἀμετακίνητος, ratione reliqvorum debilis & infirma sit, utrinqve seqvetur, DEum ad operationem verbi proximè concurrere, cum electionis omnium confessione, adeoqve & dispositionis verbi causa proxima sit, neqve verbum insuper seipsum disponere suasqve vires ex ingenio distribuere possit, qvod ἀποπώτατον nec ipsi Pajonio concedendum judico. Hâc igitur ratione probatum breviter dedimus, operationem verbi non independentem esse, sed DEum potius cordium scrutatorem per verbum & Sacramenta potenter operari, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

XLVII. Neqve verò Calvinianorum reliqvi cum Pajonianis nostris consentiunt, ut dissensum potius suum apertè enunciare non vereantur, Leidense. The- 1. 2.

ologos in hujus rei testimonium adducamus longè alia & ad sanam doctrinam propius accedentia docentes. Andreas Rivetus: (a) *Fidei*, inqvit, *causa efficiens princeps est DEus Pater, in Filio, per Spiritum S., qvi mentem illuminat, & voluntatem alioqvin à DEo aversam movet & flectet, idq; non tantùm metaphoricô causandi modô & actione, qvam MORALEM vocant scholastici, per modum finis ut loqvuntur propositâ objecti bonitate, & convenientiâ, per intellectum illuminatum & practicum suum judicium ultimum proponentem; qvod voluntas necessario sequatur; sed etiam per actionem suam IMMEDIATE voluntatem afficientem & in modum ejusdem & actum influentem, dum, ut Augustini (b) verbis utar,* internâ atqve occultâ, mirabili atqve ineffabili potestate operatur in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. *Qvæ certè verba*

(a) *Synopf. Leidenf. Disput. XXXI. §. IX.*

(b) *Libr. de Grat. Christi cap. XIV.*

ba realem & propriam efficientiam indicant. Hinc seqventi statim Thesi, (*a*) in Socinianos idem ferè statuentes Pajonistarum Choragos prolixè invehitur. 3.

Antonius Walæus: (*b*) *Negamus*, inqvit, *hominem naturalem, sive animalem, qvicunqve is sit, eô qvô decet modô, id est spirituali evidentiâ, promptitudine, animique reverentiâ & sanctimoniâ, multò minùs certâ mentis πληροφορίᾳ & assensu, ea qvæ in verbo Dei offeruntur, comprehendere, dijudicare, aut salutariter sibi applicare, nisi Spiritu S. sit illustratus.* Idem Antonius Thysius: (*c*) *Non diffitemur*, inqvit, *DEum antecedaneis qvibusdam, utpote tum naturâ, tum Lege hîc uti, qvibus peccator ad sui desperationem adductus ad consolationem Evangelii & spem in DEum manuducatur, at verò vi spiritus per Evangelium prædicatum opus hoc in nobis efficitur, ne qvis arbitretur nos violentos raptus & ENTHUSIASTICOS & momentaneos motus hic statuere.* 4.

[*a*] §. *X.*
[*b*] *D sput. V.* §. *VIII.*
(*c*) *Disput. XVII.* §. *XXXI.*

XLVIII. Deniqve qvàm verum & constans sit, qvod Græcorum proverbio communiter dicitur, ἑνὸς ἀτόπως δοθέντος συμβαίνειν πάλλα, id vel unico hoc Pajonianorum exemplo constare pot. est. Nam discipuli à Præceptore rursus dissentientes ἀτοπωτέρῳ adhuc proferunt & fingendi sibi licentiam qvandam sumunt. Non satis erat absurdum illud de peccato originalis essentia, in sola intemperie corporis consistente commentum produxisse, qvod seqventi olim orthodoxi Concilii Arausicani canone (a) penitus rejectum fuit: *Si qvis per offensam prævaricationis Adæ non totum, (id est secundum corpus & animam) in deterius dixit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsâ durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adversatur Scripture dicenti:* (b) Anima qvæ peccaverit, ipsa morietur, & (c): Nescitis, qvoniam cui ex-

(a) *Canon. I.*
(b) *Ezech. XVIII.*
(c) *Rom. VI.*

exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, & (a) Qvô qvis superatur, ejus & servus addicitur Non satis, inqvam, protervum judicant decretis Concilii sanctissimi & ab omnibus ferè Christianis recepti impudentissimè contradicere, nisi novum inde dogma & priori penè pejus deducerent. DEum enim solùm operari inqviunt, per remotionem intemperiei corporis, tanqvam obstaculi, & collatione virium naturalium, correctione temperamenti ac similibus Physicis rebus, qvod ex Critica Juris auctor veræ Ideæ ad amussim demonstrat. Qvo ipso nihilominus hypotheses suas primarias penitùs evertunt, DEum ἀμέσως incorrectione temperamenti agere luben ter concedendô. Sanè cum argumenti hic nihil, qvod sciam, afferant, facilis erit hujus Controversiæ dijudicatio, si id modò omni animi conatu observetur, ne morales aut Physicas actiones cum hyperphysicis & divinis confun-

H 4 den-

(a) 2. Petr. II, 3.

dendô in alterutram Pajonii aut Papini & ejus assectarum partem, dilabamur.

7. Illud notatu dignum est, qvod supra notandum omninò nobis erat, Petrum Molinæum, Sedanensem Theologum facem Pajonianis protulisse, qvando ad peccatum producendum, *DEum, proclivitatem naturæ & temperamentum corporis, qvod qvidem non sit causa creans peccatũ, sed irritamentum concurrere* affirmat, (*a*) cum eadem in dissertatione (*b*) concupiscentiam à peccato originali in eo

8. differre dixerit, qvod illa *diversâ educatione, exemplis & humoribus corporis variis irritetur, peccatum verò originis æqvale in omnibus sit*, qvas satis inter se diversas ejusdem Molinæi in eodem opere sententias, qvi rectè & accuratè concilaverit, hunc ego Oedipum, imò Oedipô magis perspicacem sagacemqve dixerim.

1. XLIX. De prædestinatione, qvod restat, ita sentire Pajoniani dicuntur, ut

(*a*) *De Peccat. orig. Part. III. §. XXXV.*
(*b*) *Part. II. §. XLIV.*

ut cum Calvinianis qvidem in ipso totius negotii scopo conveniant, rationem etiam sub qva DEus elegerit, aut reprobaverit homines eandem retineant, ipso solum exsecutionis modò immutato. Neq; enim ad fidei concessionem 2
cum Amyraldinis, nec ad gratiæ efficacis attributionem cum rigidis, in Belgio & Germania Calvinianis confugiunt, sed ad collationem organorum aptitudinis, ἐνεργείας verbi, reliqvarumq; circumstantiarum, qvas latiùs supra enumeravimus, ex adverso se conferunt. Qvâ 3
in re Jesuitas denuò cum Cartesio suo seqvuntur inprimis Bellarminum, (a) *qvi propositum DEi conditionatum esse, ex præviſione per scientiam mediam, MORALIS cujusdam persvasionis, cui præscit DEus hunc, vel illum non repugnaturum, licet ex arbitrii libertate possit dissentire. Haud secus, ac si pastor ovi ramum viridem ostendat, vel parens filiolum nucibus illiceret, qvos novit certò secuturos, tametsi fieri potest, ut illa non moveant.* Eqvidem

H 5 iidem

(a) *De Gratia & Libr. Arbitr. Lib. I.*

iidem Jesuitæ *inæqualitatem gratiæ in genere beneficii, sed non in genere motionis agnoscunt, unde æqualis (inquiunt) gratiæ motio utrisq; ex parte DEi adhibita, ob diversam tamen objectorum DISPOSITIONEM, & captam à proponente opportunitatem diversos effectus producat*, recensente Prideosiô in Lectionibus Theo-
5. log. cis. Breviter ut dicamus, id omne qvod ad probandam firmandamqve hanc thesin fiam proferunt adversarii hypothesibus allatis innititur, qvas cum supra DEi auxiliô confutaverimus, lubentes hâc etiam disputandi operâ supersedemus.

L. In portu navigamus, qvem brevi
1. ut sperò, unicô adhuc scopulô, eôqve brevissimo ferè, devicto obtinebimus. De gratia scilicet divina dicendum
2. nobis est; qvam cum reliqvis nostri Calvinianis invincibilem & irresistibilem ratione electorum vocant, sed ita demum ut insuperabilitatem illam gratiæ

(a) *Lect. IV. 7.*

tiæ, non ab invincibili aliqva, immediata ac supernaturali operatione Spiritus S. in mentem ac voluntatem electorum κατὰ πρόθεσιν distinctâ ab efficacia verbi & mediorum oblatorum, ut Calviniani communiter solent, sed ex aliò longè principio deducant. Inde enim ἀμεταπτώτου hanc & efficacem DEi gratiam vocant, qvod dispositionem internam hominis, & propositionem objectorum satis præstantium, eaqve ratione dispositorum, ut non possit non afficere rectè dispositorum mentem, simulqve voluntatem in assensum trahere, non ὑποθετικῶς solùm, sed θετικῶς etiam supponant, ut ex Spanhemii Elencho Controversiarum liqvet. 3. Qvibus omnibus ac singulis principium peti, & nihil solidi aut certi adeò proponi, ecqvis non videt? 4. Refutationis sanè negotium intermittere hic nihil vetat, cum ipsi præsertim Calviniani, principia in hoc negotio Pajonistica unò ore detestentur. 5. Qvare nihil nobis reliqvum hujus negotii esse videtur, qvam ut 6.

brevi errorum Pajonianorum factâ ἀνακεφαλαιώσει præsenti Lucubrationi finem imponamus.

LI. Systema enim Pajonianæ doctrinæ doctrinam de DEo & homine in utroqve statu speciatim proponit. DEus igitur rerum (nam Pajoniani cujusdam persona assumenda mihi est) omnium æternum nullis circumscriptum finibus principium, cum ex hypothesi Pajonianâ tantæ potentiæ non esset, ut vel concurrere ad rerum creatarum actiones, vel sine ideis movere intellectum hominis posset, mundum, eaqve omnia qvæ in illo continentur, in tempore creavit, eiqve principium quoddam internum & efficacissimum indidit, à qvo motus omnes & actiones universæ dependerent, adeò ut DEus vi PROVIDENTIÆ suæ neutiqvam ad actiones rerum creatarum speciatim & immediato influxu concurrat, nec illæ etiam à summo conditore in agendo proximè dependeant, HOMI-

MINEM verò, cum à DEO purâ mente ac integrâ voluntate conditus fuisset, deplorando LAPSU amisisse quidem nobilitatis primæ partem, sed aliqvid ejus retinere vel hodie, infantes autem solam dispositionem peccati habere statuunt. Ita tamen ut in duas hic partes scindatur, qvarum antiqvior Pajonium secuta PECCATUM ORIGINIS, quod malum morale vocant, solum intellectum corrupisse voluntate & corpore adhuc integro, altera Papino adhærens, in intemperie & δυσκρασία corporis illud potissimum constare sentit. Hinc LIBERUM ARBITRIUM utrisqve adhuc integrum est, nisi qvod voluntatem ab intellectu ad malum determinari credant. Porro qvod ad statum reparationis attinet PRÆDESTINATIONEM & REPROBATIONEM fieri credunt ratione prævisæ dispositionis, qvam DEus per ejusdem collationem & objecti dispositionem exseqvatur, CONVERSIONEM igitur ipsam mora-

lem esse credunt rigidi Pajoniani, Papiniani ex parte Physicam, qvorum illi correctionem intellectus, objecti ope facta, hi temperamenti correctionem Immediatè à DEo producendam, reqvirunt. Tota deniqve res huc redit, ut conversionem non à DEo sed à verbo, qvod virtute independente agat, moraliter, sive per argumentorum moventium ac persvadentium oblationem, produci statuant, ad qvæ recipienda satis superqve virium homini insit. Principium hujus conversionis juxta rationem, qvæ recipit & admittit, VERBUM divinum est, qvod interna qvadam & in agendo independente efficaciâ præditum est, adeò ut sine proximo DEi concursu movere hominem & obedientiam necessario producere illis videatur, qvam porrò efficaciam TESTIMONIUM SPIRITUS S. vocant. Hujus ope produci FIDEM dicunt, qvæ sit sensus rerum divinarum, simulqve gratiam irresistibilem electis

ita

ita tribui, ut pro ratione illorum Verbi efficacia diversimode disponatur.

LII. Hæc habui, qvæ de Pajonii ejusqve sectatorum doctrina ex adversariorum potissimùm scriptis in medium proferrem, nullô humanæ eruditionis aut Philosophicæ experientiæ auxiliô fretus. Qvæ cum ex Calvinianorum scriptis excerpenda cumprimis essent, placuit eorundem verbis ad refutandos ejusdem confessionis socios freqventius paulò uti, sicut de cætero divinâ ôpe ex Solis Sacrarum literarum Pandectis remedia huic malo qvæsivimus. Qvocirca rogatum Te voiô, benevole Lector, ut si qvid erratum, si qvid cespitatum invenies (homines enim sumus, errare facilè possumus) imperito ac minus exercitato lubenter ignoscas, conditionis humanæ memor, qvæ in difficili adeò opere miserum hominem ab errore immunem esse vix permittit. Qvod si verò non inutilis Tibi aut supervacanea opera hæc nostra videtur

tur nihil invicem præmii reposco, qvã ut miseri mei peccatoris apud Dominum, cui qvicqvid possidemus acceptum referendum est, in precibus Tuis memineris. Postremò DEum veneror fontem veritatis & omnis boni, ut ultimis hisce & conclamatis temporibus Ecclesiæ suæ satis coarctatæ curam, qvod facit, imposterum habeat. Jnstant pericula dubio procul gravissima, nec vana nobis auguria tempestatem propemodum interneciam ominantur: nullibi nobis auxilium, nullibi salus, nisi in DEO, ecclesiæ suæ præside ac tutore certissimo. Te igitur sanctissime DEus, supplices rogamus, uti, qvod superest Ecclesiæ tuæ sponsæ charissimæ, reliqvias potenter tuearis, Tuiqve simul verbi thesaurum auro gemmisq; peciosiorem, ac legitimum illi sanctissimorum mysteriorum usum contra tot callidi ac potentis adversarii insultus sartam olim ac tectam conserves. οὗτοι γὰρ, ut D. Epiphanii verbis totum opus concludam, οἱ χαρακτῦρες τῆς σεμνῆς ταύτης νύμφης

χρι-

χρισε αὐτη ἡ προίξ, καὶ διαδήκη κληρονομίας. καὶ βέλημα τε αὐτης συμφίε, καὶ ἐπαρανίε Ιησε Χρισε, τε Κυρίε ἡμῶν, δι ε καὶ μεθ' ε τῷ πατρὶ δόξα, τιμὴ, κράτος σὺν ἁγίῳ πνεύματι εἰς αἰωνας αἰώνεον, ΑΜΗΝ.

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ.

I. Hiſtoria Schiſmatum hujus ſecuti generatim exponitur, quidq; in Eccleſia Evangelica Weigelius, Bohæmus, Syncretiſtæ &c. apud Calvinianos Anabaptiſtæ & Fanatici, Socinus, Epiſcopales, Arminiani, Amiraldus, Carteſiani, Coccejani, Gomarus apud Pontificos, Dominicani, Janſenius, Illuminati, Jeſuitæ, Qvietiſtæ &c. machinati fuerint, breviter oſtenditur. II. Aditus ad negotium ipſum paratur. III. Totô opere in partes diſtributô, Pajonii vita ſpeciatim exponitur. IV. Hiſtoria Pajoniſtarum. V. Eorundem fata in Galliis. VI. in Belgio enumerantur. VII. Scripta utriusque partis recenſentur. VIII. Tranſgreſſio ad tractationem ipſam. IX. Hypotheſis primo de concurſu mediatô.

X. Al-

X. Altera de gratia mediata, idem principium Theologiæ Pajonianæ. Carteſianiſmus examinatur, ejuſque abuſus in TheologisBelgicis præcipuus oſtenditur. Hulſii & Regii lites Theologia Rationalis. XI. Πρῶτον ψεύδος demonſtratur. XII. Quòd ratio Theologiæ principium non ſit. XIII. Theſis Pajonii de verbi efficacia, ut Sociniana &c. reprehenditur de morali certitudine qvædam notata. XIV. Jurii diſtinctio explicatur. XV. Monita qvædam ad hanc theſin neceſſaria. XVI. Theſis de circumſtantiis ad operationem verbi requiſitis refutatur. XVII. Duplex Scripturæ operatio enucleatur. Prideaux notatur. XVIII. Teſtimonium Spiritus ſancti explicatur. Amyraldi & Le Blanc pugnæ recenſentur. XIX. de idearum neceſſitate ad converſionem agitur. XX. Doctrina de concurſu expoſita. Leydeckeri definitio notata. Auguſtinus defenſus. Sententiæ veterumde concurſſu adjectæ. XXI. Εὕρημα Pajoni de virtute catholica. XXII. Pajonius qvatenus cumDurando conſentit,

ex

ex sacris literis & scriptorum Calvinian. testimonio convincitur. XXIII. Philosophi qvid hac de re sentiant, expositum. XXIV. Ad objectiones respondetur. XXV. sententia Pajonii de virtute catholica speciatim refutatur. Molinæi verba de Arminianorum universali influxu. XXVI. Quæstionem de concursu Theolog. esse docetur. XXVII. originis peccatum non solum intellectum corrupit, Cartesii hâc de re sententia. Idem Theolog. Calvinian. eorundem pugnæ de concupiscentia inter Ramburtium, Chamierum, Jurium. Sententia orthodoxa. XXIX pugnæ Calvinian. de imperio voluntatis in intellectum. XXX. Peccati originis habitum infantes obtinent. Capellus & Molinæus notantur. Junii & Keckermanni contradictio, XXXI Peccat. origin. utrum physicum an morale sit disquiritur. Placæus reprehensus. Sententia Alting. Jurii, Prideosii hac de re. Sententia orthodoxa Lutheri, Hunnii, Balduini. XXXII. Corporis vires corruptas esse ostenditur. P. Martyr, notatus. XXXIII. Senten-

Sententia Pajonii de viribus hominis, XXXIV. Papini de iisdem opinio. XXXV. Thesis de motione animæ Prideosii verbis rejecta. XXXVI. Conversio utrũ morale opus sit? quæritur, sententia Amyraldi, prideosii, Jurii. XXXVII. Orthodoxa sententia, Argumenta Pajonii refutata. XXXVIII. Fides quid sit exponitur, Amyraldus reprehenditur. XXXIX. Thesis Pajonistica de Gratia mediata Status controversiæ, XL. Rationes Pajonii sex. XLI. Prima & secunda refutantur. XLII. item 3. 4. 5. XLIII. Sexta rejicitur Hulsii & Carthesian. cum reliquis Calvin. lites. XLIV. Pajonii rationes refutatæ, sententia Arausicani Concilii. XLV. Sententia orthodoxa. XLVI. Ex sacris literis probatur. XLVII sententia Riveti Walæi & Thysii. XLVIII. Pajonii opinio de intemperie. Molinæus sibi ipsi contradicens notatur. XLIX. Opinio Pajonii de prædestinat. item Jesuitarum. L. de Gratia irresistibili. LI. ἀναπεφαλαίωσις doctrinæ Pajonianæ. LII. Conclusio operis.

ΘΕΩ ΤΩ ΠΑΝΤΟΚΡΑΤΟΡΙ ΔΟΞΑ!

ΣΤΝ ΘΕΩ!

LECTIONUM SACRARUM

ex omni Theologia,

cumprimis Thetica, Polemica, Symbulevtica, Morali, Myſtica, Practica, Homiletica, Critica & Hiſtorica

FARRAGO ΕΠΙΜΕΤΡΟΣ.

MISSUS I.

Προλεγόμενα *Syntagmatis. Philologia Sacra. Profani Philologi, qvorum Adverſaria, Variæ, Novæ, Antiqvæ, Suſpectæ Lectiones exſtant. Philologi Romani veteres. Critici Biblici, Calovius, Rivetus, Druſius, Buxtorf. Schikardus &c. Bochartus. Patrum interpretes κεφτικοὶ, Meurſius, Heinſius, Caniſius, Gronovius, Poſſevinus, Senenſis, Cocus, Dallæus, Allatius &c. Acta Theologica, Theologicus Polyhiſtor. Kromayerus, Saldenus &c. Critici recentiores, Simonius notatus, Fraſſenius, Le Moyne. Larrequanus.*

I. Cùm in omni ſtudiorum genere, tum

in eo cùm maximè, qvod penitiorem animi curam ac cognitionem propriô velut jure sibi deposcit, meô pariter & Flacci *in Arte Poëticâ* judiciô,

Omne tulit punctum, qvi miscuit utile dulci.

Gravis enim & digna memoratu sententia Maximi Planudis, Monachi CP:

ἐσθ' ὅτε παρβολάδην ταῖς φροντίσι μίγνυε τέρψεις,
ὄφρα φέρειν θυμὸς φίλος ὁντιναοῦν πόνον ἴσχῃ.

Pulchrè verò & accuratè Phædrus: *Lib. III. Fabul. LIII.*

Sic lusus animo debet aliqvando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

Nam in Sacrarum literarum studio, qvis nescit gravissimi momenti res & in altissimo divinitatis fastigiô positas obvenire, in qvarum exqvisitâ pertractione devotus æternæ Menti animus semper assiduoq́ve occupatur, *cui intentus*, ut ait Seneca, *Lib. VII. de Benefic. cap. XIII multum curæ, multum sedulitatis impendit?* Qværenda igitur, ut altissimè ordiar, in ardua hac rerum conditione delectatio est, eaq́ve sæpenumerò stu-

studioseq; ruminanda qvæ amœnitate suâ ac pulchritudine reficere lassatam meditationibus mentem, & ad iterandum sanctissimi laboris, pensum invitare possunt. Nec enim illos moramur, qvi rejectô prorsus repudiatoq; amœnitatis studiô, ut Gellius *Lib. I. Noct. Atticar. cap. II.* ait, *vocabula haud facilè cognita, Syllogismorum captiones, dialecticarum laqveos assiduò strepunt*: eorum verò auctoritate nitimur, qvo cum omne θεολογίας studium feliciter emensi sint, multùm omninò interesse judicant, ut jactis olim in Theologia fundamentis ea superstruamus, qvæ ad illustrandam Sacri Codicis κρίσιν & Patrum scripta ritè intelligenda ac emendanda facere possunt.

II. Eqvidem in hoc negotiô imitemur, licet τῶν Φιλολόγων παίδας, qvi promulgatis Variarum aut Novarum Lectionum libris nihil in omni Scriptorum gente intactum indictumvé reliqverunt. Qvem enim fugit copiosa ac ingens Commentatorum Criticorum vis? qvorum ex numero clarissimè eminent, *Adriani Turnèbi*

Adversar. Tomi III. *Joh. Mariæ Matii* Annotat. in Varios Auctores. *Antonii Augustini.* Emendat. Lib. IV. *Caroli* Sigonii Emendat. Liber. *Jani Gruteri* Suspicionum Lib. IX. & Lampas Critica. *Casp. Scioppii* Suspectar. Lect. Lib. V. *Hieronymi Mercurialis* Variar. Lection. Lib. XX. *Ludov. Carrionis* Antiqv. Lect. & Emendat. Lib. II. *Caroli Verderi* Censiones & Correctiones. *L. Cœlii Rhodigini* Antiqv. Lect. Lib. XXX. *Gvilielmi Canteri* Nov. Lect. Lib. IIX. *Jani Mellerti Pamelii* Spicileg. Commentar. *Joh. Bapt. Pii* Castigationes. *Joh. Meursii* Exercitat. Critic. Part. II. *Justi Lipsii* Antiqv. Lect. & Elector. Lib. II. *Joh. Passeratii* Conjectur. Liber. *Adriani Behotii* Apophoreta. *Nicolai Loensis* Epiphyllid. s. Miscellan. Lib. X. *Pauli Leopardi* Emendat. Lib. XX. *Philippi Rutenii* Elect. Lib. II. *Jacobi Durantii* Var. Lect. *Justi Zinzerlingi* Critic. Juvenalium. Promulsis. *Petri Victorii* Variar. & Antiqv. Lect. Lib. XXXIIX. *Lucæ Pati* Var. Lect. *M. Ant. Mureti* Var. Lect. Lib. XX. *Theodori Canteri* Var. Lect. Lib. II. *Vincentii Contareni* Var. Lect. *Jos. Scaligeri* Lectiones Ausonia-

sonianas. *Jani Gebhardi* Antiqv. Lect. Lib. II. *Gerhardi Vossii* de Arte Grammatica Lib. VII. *Casp. Barthii* Adversarior. Tom. I. *Thom. Reinesii* Var. Lect. Lib. III. & inedita Cl. V. *Christiani Daumii* Variæ Lectiones. Exstat etiam apud Veteres hujus rei memoria, penes qvos *Cesellii Vindicis* Lection. Antiqv. Comment. *P. Nigidii* Comm. Grammat. *Cornificii* Etymor. Lib. III. *Helii Melissi* de proprietate sermonis, *Annæi Cornuti* de figuris sententiar. Lib. II. *C. Cæsaris* de Analogia Liber. *Capitonis Atteji* Conjectaneor. Lib. CCLIX. *M. Varronis* Epistolicarum qvæstionum, Lib. IV. *C. Bassi* de origine vocabul: *Caji* de origine vocabul. *Verrii Flacii* de obscuris Catonianis Lib. *Julii Modesti* Qvæstiones Confusæ. *Helii Sedigiti* de Fabulis Plauti ambiguis Libri celebrantur, qvorum omnium Fragmenta ex veterum scriptis collegimus.

III. Nam in tanto Philologorum numero pauci sunt, qvi vel ex Sacro Codice depromunt dicendi materiam, vel ad emendandos Ecclesiæ priscæ scriptores operam conferunt aut πολυϊστορίας Theologi-

logicæ penitiorem curam habent. Exstant tamen & hujus exempli non contemnendi auctores, qvi ad profanæ κρίσεως imitationem huc digitum intendunt. Id eqvidem sedulò egit Academiæ nostræ Lumen *Abraham Calovius* ὁ πάνυ in Critico Sacro, & *Andreas Rivetus* in simili scripto, cujus in recensendis dijudicandisqve Patrum scriptis non levis opera judicatur. In Sacrum verò Codicem benè meritus præ cæteris est Cl. V. *Janus Drusius* Observationum Sacr. Libris XII. Antverp. 1584. & Lib. XVI. Franekeræ 1594. editis. Accedunt ejusdem Miscellanea Sacrar. Lectionum. Amstel. 1586. & Lectiones in Prophetas Minores Franek. 1591. ac Græcorum Interpretum Fragmenta, Franek. 1629. cum Conjectaneis in Græcam LXX. Versionem Amstel. 1627. criticô more exposita. Qvid Joh. BUXTORFIUS præstiterit in Commentariô Masoreticô Morinus & Simonius, invidi licet, eloqvuntur. Nam & *Wilhelmus Schikardus* in Bechinath Happeruschim Tubing. 1621. & Eclogis Sacris 1633. editis, Critici Hebraici laudem insigni-

signiter meruit. Accedunt Observationes Sacræ *Arnoldi Bootii* nunqvam satis laudatæ, Eclogæ Sacræ B. *Dilherri*, *Eduardi Leigh* Criticus Sacer Amstel. 1676. *Theophili Raynaudi* S. J. Criticæ Sacræ, Volum. XI. B. *Sal. Glassii* Philologia Sacra, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, *Mayeri* Philologia Sacra Lipsi 1629. edita *Sam. Bocharti* exqvisitam in Hierozoico Phalego operam, multi equidem mirantur, pauci imitantur.

III. Præclaram deniqve operam in κρίσει Ecclesiasticorum Scriptorum collocavit Cl. V. Joh. MEURSIUS in Critico Arnotiano & Hypocritico Minutiano Lugd. Bat. 1599. ac Variorum Divinorum Libris, qvibus nunqvam edita Patrum scripta sollicitè evolvit. Insuper INL. Vir Dan. HEINSIUS in Aristarcho Sacro eximiam, in exponendo Nonno & aliis operam collocavit, qvam utinam plures cum judiciô imitarentur, nec satis haberent, pro inveterata inter τὰς ἀνεπιστήμονας consvetudine veterum Commentaria emendicari, omni propria κρίσει susqve deqve habitâ. Porro Nicol. RITTERS-

TERSHUSIUS in Obſervat. Sacris multa notatu digna cumulat, cui FULLERUM jungimus in exponenda κρίσει Theologica non contemnendum, ingeniô tamen, qvàm judiciô magis validum. Præſtat Henr. CANISII Antiqv. Lect. Tomos jungere, ex qvibus, ſi qvis judicium attulerit, fraudum pontificiarum perſpicax, multa diſcere poterit, nullibi extantia, cùm præſertim inedita Patrum & Monachorum ſcripta ad ſatietatem cumulet.

V. Omnes judiciô antecellit & crebrâ auctorum emendatione Joh. Frider. GRONOVIUS in Obſervat. Sacris Daventr. 1651. editis, qvi utinam communi bonarum literarum emolumento perfeciſſet hoc opus, nec interſperſiſſet plura, ἀφ' ἑν πρὸς ἄλφιτον facientia, nec evagaretur fermè extra oleas Dictyos Cretenſis & ſimilium enumeratione occupatus; ἀλλὰ κρὴ λυσίας, ut apud Platonem legitur in Phædro, τὸ παντὸς ἡμάρτηκε. Gronovio & Belgis ancipitem prope palmam faciunt Galli, omnium hâc inre meritiſſimi. Ea enim qvæ *Iſ. Caſaubonus* in Exercit.

An-

Anti-Baron. *Jacob Sirmondus* passim, præcipuè ad Sidonium Ennodium, Jacium, *Dionysius Petavius* Opere de dogmatibus Theologicis & ad Synesium ac Epiphanium, *Hadrianus & Henricus Valesii* in medii ævi & Græcis auctoribus, *Daniel Chamierus* in Panstratia, *David Blondellus* in Pseudo-Isidoro. *Joh. Dallæus* Libr. de usu Patrum in Theolog. itemq; ad Dionys. Areopagit. *Edmundus Albertinus* Libr. de S. Eucharistia, *Steph. Baluzius* in media ætate *Andreas du Chesne*, *Franc. Juretus* ad Symmachum & Paulinum, *Joh. Bapt. Cotelerius* nuperrimè notarunt, præclara omnino sunt, qvorum magnam qvoqve messem Britanni suppeditant, qvi *Joh. Rainoldi* in Censura Libr. Apocryph. & Colloqvio cum Hatto, *Guilielmi Witthakeri.* contra Stapletonum. *Joh. Ivelli* contrà Hardingum, *Henr. Justelli. Rich. Montacutii* in Exerc. contra Baron. *Joh Felli* ad Clementem & Cyprianum, operam mirantur. *Jac. Usserio* Hybernô feliciter æmulante. Nec ea verò penitùs rejicienda sunt, qvæ *Anton. Possevinus* in Apparatu Sacro Colon.

1608. & *Sixtus Senensis* in Biblioth. Sacra Colon. 1626. edita cum supplemento Joh. Hayi habent, labore vastissimo clari. Quos quidem ingeniô multum superat *Robertus Cocus* in Censura Scriptorum sub nomine Patrum extantium, eruditione autem & Lectione *Leo Allatius*, novum Græciæ lumen, in Dissertat. de Libris Eccles. Græcor. Paris. 1646. ed. Joh. Caspari SVICERI Observationes Sacræ Tiguri 1665. ed. & Joh. Conr. DIETERICI Antiqvitates Sacræ, non parùm faciunt ad intelligendas cumprimis N. T. phrases & Antiqvitates. Ludov. CAPELLI Notæ Criticæ in V. T. Jacobi CAPELLI observat. Amstel. 1689. *Campegii Vitringæ* Observat. Sacr. Lib. II. 1689. Ipsa cumprimis novitate & rerum elegantiâ cumulatò se commendant.

VI. Prætereà cùm novarum rerum cupidi simus & καινοφιλίας studium apud exteros pariter & nostros ubiqve locum obtineat, operam dandam esse autumo, ut huic etiam malo obviam eatur. Nam cùm insignem gratiam ubiqve meriti sint Actorum

rum collectores, qvi Physicas, Medicas, aut Mathematicas res curiosa exponunt, cum Acta Eruditorum Lipsiensia, Ephemerides Gallicanas, Parisienses, Belgicas, Patavinas, Londinenses, Hafnienses, Observationes Naturæ Curiosorum &c. nemo non miretur; operæ pretium futurum, censeo, si qvi firmati judicio & Theologicâ scientiâ Viri publicè constituti idem in Theologicis rebus præparent, eoqve modo enumeratis Theologorum Actis ἐπίκρισιν debitam adderent, ut hâc ratione, ingruenti passim novitatis studio, qvod nihil non, in sacris etiam rebus, audet defendere, obviam eatur; ἀλλὰ πάντα θεῷ ἐν γόνασι κεῖται. Interim sufficere poterit exqvisita Illustrium Lipsiensium diligentia, qvi in Actis multa admonent & ἀφανισμάτα aliorum passim ad instituti rationes indicant.

VII. Pulchrè operam collocaverit, qvi ad exemplum Nobilissimi Polyhistoris Dan. Georg. MORHOFII, Polyhistorem Theologicum conscripserit, cujus qvidem olim fundamenta jecit B. KRONMAYE-

RUS in Polymathia Theologica, & qui nuper Otia Theologica vulgavit Guilielmus SALDENUS, Gisberti Voëtii Disputationes Selectas clarissimè imitatus.

IIX. Jungimus ex recentiorum Gente *Richardum Simonium*, nobili excitatôque ingeniô Virum, sed judicii ἀκριβείᾳ sæpiusculè abutentem. Mirantur Eruditi ejusdem Historiam Criticam N. & V. T. sed libertatem judicii in tantô negotio eruditissimo Philologo exprobrant. Minor ingeniô habetur *Claudius Frassenius* Peronensis, cujus disquisitionum Biblicarum Lib. IV. exstant Paris. 1682. ed. multa ille cumulat, quæ apud nostros centies repetita invenies, cùm Simonius nova solùm & minùs nota, etiam cum orthodoxiæ dispendio sectetur. Erroris enim insimulat Pentatevchum Samaritan., Masoram cum Is. Vossio & Ludov. Capello negligit, Buxtorffiis passim detrahit, nec Ludov. Capello, aut Morino, præstanti suæ gentis Philologo, parsit: Epistolæ ad Hebræos auctorem amanuensem Pauli facit Lib. I. Hist. N.T. cap. 16. testimonium περὶ τῆς μιᾶς

ὃν

ἐν θεότητι ὁσίας 1. Joh. V. impudenter rejicit, deniqve cap. XVIII. Versioni τῶν ὁ tantùm tribuit, qvantùm detrahit Hebraicæ veritati, qvô qvidem nomine complures Critici hodiè hallucinantur. Parem Simonio existimamus *Anonymum Auctorem Disqvisit. Criticar.* de Edit. Biblic. Londin. 1684. edit. nisi ab ipso potius Simoniô profectæ sint, ut censent Actor. Lipsienss. Collectores Ann. 1685. Mense Januar. pag. 2. Multos in hoc negotiô vincit Leidensis Theologus *Stephanus Le Moyne* in Variorum Sacrorum Tomis II. Leidæ 1685. editis. Denique ad exponendas Patrum Antiqvitates mirè faciunt, qvæ *Michaël Larroqvanus* Libris III. Adversariorum Sacrorum Leidæ 1688. editorum, eruditè adducit.

MISSUS II.

De Moralitate Sabbathi Joh. Fechtii sententia. A. Conf. contra Voëtium defensa. de Angelorum lapsu ridiculè Judæi sentiunt. Thronus qvid olim notaverit in Ecclesia ex antiqvioribus deductum. Protothrmus, qvid significet ex

Zonara, Petro Antioch. Tyrio, Colutho ostensum. De diœcesibus Macarii Antigrani locus. Idem Macarius emendatur. Peccatum Philosophicum. Probabilismus Jesuitarum.

I. De Sabbathi celebratione variè disputatum est omni ætate, utrum moralis sit & immutabili divini juris, ut ex septem diebus unus sanctificetur ad cultum Numinis; an verò Ecclesiasticæ libertatis sit, qvemcunqve velit, huic negotio mancipare. Hanc in rem prolixè disputat Summus Theologus, Joh. FECHTUS ex Noctibus Christianis, & Epistolis ad Marbachios editis clarus, Exercitat. III. Schediasm. Sacrorum, p. 608. seq. variè concludens Sabbathum Christianorum nec qvà diem, nec qvà otium diei morale dici posse, sed liberum ritum atqve ἀδιάφορον esse, ipsumq; tertii præcepti morale in voluntarii dici cujusdam celebratione consistere, qvicunq; demum ille sit, deniqve ipsam celebrationem in auditu verbi & cultu spirituali consistere, ut adeò sacris peractis ad proprios labores redire qvis possit. Ac eadem propemodum

dum sententia est Andreæ Riveti, Fr. Gomari, Thomæ Brodæi tractat. de Sabbatho, qvam Lutheranis Theologis omnibus Gisberr. Voëtius nescio qvô jure, tribuit disput. Select. Tomo III. Disput. de Sabbatho, p. 1238. Augustanæ Confessionis auctoritatem adducens. Nam contrarium tuentur præter Voëtium dictô locô Andr. Essenius de Moralitate Sabbathi, Anton. Walæus de Sabbatho, Festus Hommius in Tabulis Catechet. & Belgæ propemodùm omnes. Cæterùm ut ad Voëtii verba aliqvid opponam, videtur mihi A. C. Artic. Cerem. VII. de potestate Ecclesiastica, longè aliud docere, qvàm ille contendit, qvi omnimodam moralitatis negationem nobis tribuit, cùm illa luculentum discrimen faciat, inter sabbathi institutionem, qvam omninò liberam esse judicat, & inter ejusdem dominicæ diei observationem semel constitutam, qvam migrare nobis non licet, nisi communi Ecclesiæ consiliô novus planè dies constituatur. Sic Brentius Commentar. in Levit. XXV. decimum aut vigesimum diem posse constitu-

ſtitui apertè fatetur, nullo ὀρθοδοξίας diſcrimine. Sic B. Chemnitius Part. IV. Refutat. Concil. Trident. p. 806. ſpeciem Sabbathi, non genus omne abrogatum & confuſionem graviſſimam introductam ſcribit.

II. Ridicula prorſus eſt ſententia Auctoris Schalſchel. hakk. p. 6, 6. Angelos invidiâ adverſus hominem creandum motos felicitate ſuâ excidiſſe, & ex iisdem Schamchazai ad frugem rediſſe ac filios generâſſe, qvâ mirificè ſibi placent. Videatur Hottingerus. Lib. I. Smegm. oriental. cap. IIX. & Guilielmus Saldenus Otior. Theolog. Lib. III. Diſſert. de Angel: lapſu.

III. Qvid THRONUS ſignificet in antiqvæ Eccleſiæ monumentis publicè conſtare arbitror; at de PROTOTHRONIS, Eccleſiaſticâ dignitate difficilior mihi diſceptatio videtur. θρόνος præcipuè ad Eccleſiaſticas res refertur; ad notandam Epiſcopalis officii dignitatem, qvô ſenſu apud *Ephremum Conſtantinopolitanum* in Chronologia de Patriarchis legitur,

τάτε

τȣ́τȣ θανόντος ἐγκαθίσταται θρόνῳ.
& alibi apud eundem in consimili negotiô:

πάλιν Ιώσηφ ἀπολαμβάνει θρόνον.
Æqvali ratione reliqvis adhibetur, qvorum ex vastissima gente paucos afferam, non adductis, qvod fieri facilè potuisset ipsis auctorum verbis. θρόνον hoc significatu invenies apud *Leonem Ostiensem*, Lib. II. Chronic. Casin. cap. IV. *Adalberonem Laudunensem* in Carmine ad Robertum Regem. *Liberatum Diaconum* cap. XIV. *Nilum Doxapatrium* Librô de qvinqve Patriarchis, diversis vicibus, *Nicetam Seidum*, *Simeonem Thessalonicensem* Dialog. de Rebus Eccles. *Ignatium Diaconum* in vita Nicephori, *Josephum Bryennium* Oration. VIII. de Sanct. Triade, *Nicetam Nicænum* de dissidio orient. & occident. Eccles. *Stylianym Mapam* Epistolâ de rebus CPL. Eccles. *Johan. Cinnamum* Histor. CPL. Lib. II. *Meletium* Patriarcham in Epist. ad Ruthenos, *Theodorum Studitam* Epistolis CXIII. *Dorotheum Thessalonicensem* Epistol. ad Hormisdam, *Drepanium Florum* Hymno S. Michaël.

Theo-

Theodorum Balsamonem ad Canon. II. Nicen. *Alexium Aristænum* ad Canon. xxxv. Synod. Trullan. *Annam Comnenam* Lib. X. Alexiados. *Gabriel. Philadelph.* Libr. de Primatu papæ, *Matthæum Plastarium* cap. III. *Petrum Damianum* Opusc. XXXI. contra Philargyr. *Nicolaum Cusanum* Epistola II. de usu Cœnæ. *Nilum Thessalonic.* de Primatu papæ, *Nilum Cabasilam.* Pulchrè *Balsamon* in Meditatis, de privileg. Patriarch. ὁ δὲ μέγας θρονωτῆς κωνσταντινουπόλεως τὸ περιβόητον τοῦτο καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα, περινθίοις ὑποκείμενος, id verè notari velim θρόνον apud Græculos potissimum τῇ κωνσταντινουπόλει tribui, qvò faciunt testimonia Doxapatrii, Balsamonis & aliorum; sed Patriarchalibus cum maximè sedibus hanc vocem vendicare videtur Meletius Alexandrinus, qvando de Patriarch. Hierosol. in Epistola ad Ruthenos scribit: μετέχει τοίνυν καὶ τῆς Πατριαρχικῆς δοξης ἴσα ὁτῶν ἄλλων θρόνων ὁτῶν ἱεροσολύμων. Ρωμαίων ἐκκλησίας θρόνου mentionem facit Zonaras, νέας ῥώμης θρόνου *Socrates* Lib. V. cap. IIX. *Sozomenus*

nius Lib. VII. cap. V. & Macarius Ancyranus cap. XIIX.

V. Πρωτοθρόνους autem eos vocant medii ævi homines, qvi primo locò erant inter Diœceseos cujusdam Episcopos, adeò ut Patriarchas etiam & Archiepiscopos hôc nomine denotarent, cujus ἀκριβείαν utinam observâssent illi, & præter πρώτου θρόνου, qvem vi nominis sortiebantur, ipsam potestatem non ambiissent, nec ad Romani Præsulis exemplum concessum sibi judicâssent, ut ait Nilus Thessal. de primatu papæ δηλαδὴ τῶν ἐπισκόπων κρατεῖν. De Protothronis sive primiceriæ dignitatis Episcopis Zonaras loqvitur in Leone Philosopho: καὶ ὅτι μὴ ἡρακλείας ἀρχιερεὺς ὑπὸ τὸ πρωτοθρόνου κεχειροτόνητο. Scylitzes de Tryphone Patriarcha: καὶ γράψας ἔκπεμπται διὰ τὸ πρωτοθρόνου τῷ βασιλεῖ. Literæ Græcorum Synodales adversus Metrophanem: ἐπειδὴ εἶπε καὶ ὁ πανιερώτατος Μητροπολίτης ἐνταῦθα τῆς ἁγιωτάτης μητροπόλεως καισαρείας καππαδοκίας, ὁ καὶ πρωτόθρονός τε καὶ Ἔξαρχος. Petrus

trus Antiochenus Epistol. ad Dominicum Gradensem, τὰς πρωτεύοντας ἐν ἑκάστῃ Συνοδῳ ἐξαρχὰς καὶ πρωτοθρόνους ἢ πρόεδρους ὀνομάζομεν. Similia habet Michaël Glycas apud Carolum du Fresne & Wilh. Tytius de bello Sacro Lib. XIV. cap. XII. *Tyrius quidam primum locum obtinuit, ita, ut in Oriente* πρωτόθρονος *appelletur.* Geminâ phrasi expositas Ecclesiæ Græcæ dignitates legimus, cumprimis in Magnæ Ecclesiæ, (istud enim CPLtanæ nomen) officiis. Cujus generis sunt πρωτοπροσυλάκελλος apud *Parthenium Hadrianopolitan.* in Epist. Synod. πρωτέκδικος apud *Theodorum Zygomalam* de Synodo Constantia; & alia complura, qvæ studiosè enumeravimus, Animadversionibus ad Coluthi Lycopolitæ Lib. I. de Raptu Helenes. Nam apud eundem legitur hæc vox profanô significatu de Junone Dearum principe, de qva ille Lib. I. v. 151.

τοίην κοιρανίην πρωτόθρονον ὤπασεν ἥρη

Ubi Scholiastes noster Coluthianus: πρωτόθρο-

τὸ θρόνος inqvit, ἡτὸν πρῶτον θρόνον ἔχουσι.

VI. De DIOECESI, Exarchis & provincia nemo melius unqvam Macariô Ancyranô locutus est, cujus in hanc rem verba exstant Lib. XIX. ἐπαρχία λέγεται ἡ ἑκάστης μητροπόλεως συνοδία, ὡς φέρε εἰπεῖν τῆς μὲν Ἡρακλείας ἡ πᾶσα θρᾴκη, τῆς Ἀγκύρας ἡ Γαλατία ὅλη &c. Σύνοδος δὲ ἑκάστης μὲν οἱ αὐτῆς μὲν ἐπίσκοποι, ὄντοι δὲ πελάντες ὑπὸ τὸν τῆς ἐπαρχίας μητροπόλιτην. Διοίκησις δὲ ἔστιν, ἡ πολλὰς ἐπαρχίας περιέχουσα, τυτέστιν ἡ ἑκάστε πατριάρχε συνοδία, καὶ σύνοδος ἑαυτῆς, οἱ ἐν αὐτῇ μητροπολίται καὶ Ἀρχιεπίσκοποι, ὑπὸ τὸν πατριάρχην, καὶ ὄντες ἑκάστης διοικήσεως. Paragraphus hujus loci secundus valdè intricatus est & crucem non paucis fixit, fiet tamen planissimus, si qvod dicti ratio & consequentia svadent legatur: σύνοδον δὲ ἑκάστης οἱ αὐτῆς μὲν ἐπίσκοποί εἰσι πελάντες. Ita enim ex κρίσει Sacra emendavimus, non observante, qvod miror, acutissimo Allatiô.

VII. Novum hoc seculô monstrum, pro-

prodiit, fatis obstetricantibus Moralis scilicet Jesuitarum Theologia, cui similem non vidit olim ἡ οἰκουμένη. Pandoram eqvidem dixeris cum Hesiodo παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον, sed cui mille fraudum artifex

ψεύδεα θ' αἱμυλίους τε λόγους, καὶ ἐπίκλοπον ἦθος

τεῦξεν --- πῆμ' ἀνδράσιν ἀλφαιστοῖσιν,

Perspicaci Prometheo hic opus est, qvi omnes fraudum machinas curiosè detegat, cujus hodiè laudem affectare videtur Antonius ARNALDUS infensissimus Jesuitarum hostis & planè juratus. Nam cùm de *peccato Philosophico* monstrosa nuper docuerint Lovanienses & Divionenses *Estrixius*, *Antonius Burgundus*, *Ignatius Jonghius*, *Reuxius* & præ cæteris *Stephanus Bougotus*, id sanè effectum dedit, ut qvantum repetitâ Hæreseos de Peccato Philosophico denunciatione toti Ecclesiæ de recentissimis istorum conatibus constaret. Videatur Magnifici D. PARENTIS de domestico Adversar. Veritatis dissensu dissertatio §. 32. seqq.

LIX.

IIX. PROBABILISMUS non obscurè olim Peccato Philosophico viam stravit, ejusdem Societatis detestanda proles

Monstrum infame, horrendum, ingens

Nam de opinionum probabili veritate graviter illi decertârunt cum Jansenianis; ducibus Diana & Escobare, qvos alii ex nostrorum etiam numerô fortissimis armis aggressi sunt. Prognata hôc dogmate creditur PROBABILISTARUM secta, cujus arcem Jesuitæ obtinent, repugnantibus contraversim aliis, qvorum copias accuratè lustratas evolve apud *Vincent. Baronium* Parte I. Theol. Moral. *Samuel. Rachelium* in Examine Probabil. & *Gonetum* dissertat. de Probabilit. Tom. I. & II. Ephemer. Gallic. *P. Calsian. à S. Elia* in Theol. Moral. contrà Jesuitas. 1685. ed.

MISSUS III.

Deistarum secta exponitur. Apocalyptici. Th. Burnetius notatus. Enthusiastæ recentiores. Chiliastæ Luther. Calvin. Naturalismus Puccii, Hobbesii Baronis Cherburii. Rationales & Latitudinarii. Illuminatorum Secta. Hypothetici

tici Galli. Trinitas Pontif. incarnata. Peyrerius & Labadius notati.

I. Ad περίσιν Historiæ Theologicæ meritò refertur HÆRESIUM SECTARUMqve enumeratio, qvarum farraginem levi manu ex amplissima gente aspergemus, ut ea potissimùm, qvæ olim Procœmio Exercitationis contrà Pajonium §. I. II. præterissimus postliminiò resarciantur. Atheorum genus toti invisum orbi novum hoc seculo nomen mentitum est, ut videretur, mutatô nomine ab antiqvæ opinionis impietate penitùs recessisse. Nam præter alios qvæstiones raras & curiosas, Auctor novarum & curiosarum Qvæstionum in Præfatione ad Armandum Richelium Cardinalem conqveritur, renatam nuper in ipsis Galliæ visceribus ex cinere infelicis Vaninii, sectam magis perniciosam, qvæ emendicatô DEISTARUM nomine simpliciores hominum animos multò perniciosiori venenô inficeret.

II. Ex Chiliastarum familia, qvæ hodiè mirum in modum augetur prodiit APOCALYPTICORUM Secta, qvam Anno

hujus

hujus seculi XLV. caput extulisse Auctor Ephemeridum Paris. Tom. II. p. 91. testatur. Et ea qvidem ab Apocalypsi Johannea sortita appellationem, novorum inde mysteriorum genitrix extitit, qvæ non Chiliasmo solum, sed & Fanaticis penè omnibus licentiæ fenestram aperire qveant. Exstant in hanc rem Anonymi Apocalyptici Nova-antiqva Scripturæ. 1657. in Galliis edita. Recentissimus hujus sectæ auctor *Thomas Burnetius*, L' ancienne nouvean de l' Escriture Sainte, ingeniosus homo, multa ex ingenio fingit, qvorum se auctoritatem inveniisse mirificè jactat in Theoria Telluris Sacra, Londini 1681. edita. Nam præter ea, qvæ de diluvio universali, Lib. I. deq; Paradiso Lib. II. ingeniosè tradit, totus in eo est, ut Lib. III. de futuro rerum statu pag. 160. &c. ad 230. Chiliasmum Patrum & Scripturæ testimoniô tueatur. Præterea firmat Apocalypticorum Hypothesin, ex Hesiodo petitam, defensamq; ab Auctore Novorum Antiqvorum, diversas videlicet olim in beata ista Chiliade futuras homi-

num familias, qvorum alios ἐπουρανογενεῖς vocat beatos & æterni gaudii hæredes, alios γηγενεῖς ex limo natos, scelerum mancipia, qvos cum Æginensibus, neqve tertios, neqve qvartos, nec ullô numerô locôve appellares, ac eos qvidem nomine Gog & Magog à Spiritu Sancto notatos divinâ flammâ devorandos esse pag 248.

III. Ecqvis verò, ut inde ordiar, ENTHUSIASTARUM illud Chaos apud nostros etiam non infreqvens, levi breviqve oratione exponer, qvos, ut proverbiô dici solet, ἑ μία ναῦς ἄγει. Cæteroqvin ex eorum numerô eminent ἐξελθόντες ἐξ ὑμῶν, ἀλλ' οὐκ ὄντες ἐξ ὑμῶν, ut ait Apostolus, 1. Joh. II. c. 19. Enthusiastarum Protothroni, *Ezechiel Methus*, *Joh. Wernerus*, Misenensis, qvem tamen alii cum Jacobo Fabricio defendunt, *Hudenius*, *Reichardus*, *Joh. Rothius* in Belgio, *Jacobus Taglorus* Pseudo-Messias in Britannia, *Franciscus Josephus Borrhus* Philosophus Mediolan. *Qvirinus Kuhlmannus* in Bôhmio Redivivô.

IV. CHILIASTÆ simili audacia rem omnem egêre & ex nostris qvidem *D. Henricus*

ricus Gebhardi nomine Gottlibii Heilandi in Verisimilibus Historico-Propheticis in novissimô die eventuris, Auctor anonymus Apocalypseos relatæ 1653 editæ. M. Seidenbecherus, in Theolog. Problemate de Regno Christi in terris millenario, & Henricus Amersbachius, minister Ecclesiæ Halberstadiensis Lib. de mysteriis ultimorum temporum. Ex Reformatis Cœlius Secundus Curio, Lib. de magno Christi Regno, Joh. Henr. Alstedius diatribe de mille annis, Thomas Brightmannus in Apocalypsi Apocalypseos, Patricius Forbesius Episcopus Aberdonensis Comm. super Apocal. Josephus Methus, Cantabrigiensis in Clavi Apocalyptica, Petrus Serarius in Assertione de mille annis, Andr. Rollius, in Halcyoniis Ecclesiæ Reformatæ.

V. Præ cæteris verò NATURALISMUS hôc seculo hominum animos occupavit infaustâ Religione deceptos, cujus fundamenta jecit Franciscus Puccius Florentinus, in assertione Catholica, de Christi efficacitate, secuti sunt crebri Religionum consarcinatores, unô naturæ ductu ad acqvirendam

salutem contenti. Neq; enim alia mens erat *Jacobi Acontii*, Libr. de Stratagemat. Satanæ, & plerorumq;, qvi Catholicum Syncretismum tueri conati sunt. Nuper verò in Britannia *Thomas Hobbesius*, Malmesburiensis, non civilem tantùm Philosophiam, sed & Theologiam restauraturus φυσικοθεολογίας dogma renovavit in Leviathano, qvem qvidem præter Richardum Cumberlandium confutavit Spanhemius in Elencho Controversiarum. Eandem apud Anglos viam aggressi sunt Philosophorum principes, *Thomas Brownius* Librô de Religione Medica, pag. 268: & *Edoardus Herbertus*, *Baro Cherburius*, Librô de Veritate & de Religione Gentilium. pag. 210. 217. Ex Naturalismo orti, qvi diversos se ab istis profitentur, RATIONALES & LATITUDINARII Theologi apud Anglos & Belgas, Theologiam rationalem esse oportere statuentes, ut ex Anonymi discursu Lib. I. c. IV. constat, refutati à Spanhemio in Elencho Controversiarum. pag. 250. Apud Belgas principiò hoc egit *Benedictus Spinosa* in

in Tractatu Theologico-Politico, de Libertate Philosophandi, secuti *Henricus Hulsius* & *Henricus Alexander Roëllius*, notati in Exercitatione Anti-Pajoniana.

VI. ILLUMINATORUM Sectam in Hispaniis & Lusitania hoc seculo celebrem, præter Nicandum Hoheneggium, memorat Jacobus Revius in Urbano IIX. Tantus ejus sectatorum numerus creditus est, ut persecutione maturè fuerit abstinendum, & veniæ spes facienda. Illata tamen apud Lusitanos vis, & multæ ubivis familiæ ad fugam aut palinodiam adactæ.

VII. HYPOTHETICIS, qvorum sententiâ Deus creditur velle salutem omnium hominum, si credant, nolle autem dare ut credant, originem dedit *Johannes Camero*, propagârunt doctrinam Salmurienses Theologi *Moses Amyraldus* Librô Gallicè scriptô, & *Abraham Ramburtius*. Parùm autem abfuit, qvin à Synodo Alenzonensi & Carentonensi anathemate feriretur. Hypotheticorum dogma, jam olim à B. Hülsemannô, de Auxiliis Gratiæ, p. 80. seq. Andr. Riveto in Synopsi de Natura & Gra-

Gratia, Petro Molinæô in declarat. Controvers. Salmur. & Freder. Spanhemiô, Exercit. adversus Amyraldum refutatum. Etiam *Joh. Dallæus* hic calamum movit, qvi defensionem Synodi Alenzonensis & & Charenthonensis adversus Amyraldum suscepit.

IIX. TRINITATEM qvandam Incarnatam tribus personis JESU, MARIA & JOSEPHO constantem impudentissimè commenti sunt rasi fratres interprete *P. Andrea à S. Theresia*, Carmelita Monacho, in Concione Monachii 1664. habitâ ad Ferdinandum Mariam Electorem Principem, qvâ maritus Mariæ Josephus Supremus familiæ Bojoaricæ protector, & Bojoariæ Burgravius declaratur. Mittimus ab aliis prolixissimè traditum Is. Peyrerii Præadamitæ, & Johannis Labadii dogma Petr. Yvonis & Annæ Schurmanniæ patrociniô clarum.

MISSUS IV.

Patrum Emendatio. Adversar. Barthii Tom. II. & III. Sulpitio Severo vera Lectio restituitur,

tur. ponere pro sepelire. Dracontii locus emendatur. Palmes, flagellum. Complura veterum de vite eleganter dicta. Paulino prisca lectio contra Gronovium asseritur. Faustus Repensis emendatur. Prosper Aquitanus illustratur conjecturâ & emendatione. Patrum Græco-prosaica ἀπροφάσματα. Nomen τετραγράμματον. Macrobio vera lectio restituta. Tertulliani septipes versus & alia ejusdem emendata.

In Emendatione Patrum & Scriptorum priscæ Ecclesiæ non exigua Theologiæ Criticæ pars versatur, qvam summa cum laude olim excoluit INL. Barthius Tomo II. & III. Adversariorum inedit. ad Augustini & aliorum emendationem conscriptis, qvamvis & Tomo I. non leve exstet hujus rei argumentum. Cæterum ut & hujus negotii exemplum habeatur pauca adjiciamus scriptorum loca ex ingenio emendata, cùm ipsis rerum subsidiis & Criticâ supellectili nos destitui ultrò fateamur.

III. Exstat apud Sulpitium Severum Histor. Sacræ Lib. I. cap. XLVI. locus controversus: *Posito Ozochia in Judæa Rege,*

qvi uno anno regnavit, mater ejus Gotholia regnavit. Qvô ego locô vel retinerem priscum illud vocabulum, qvod veterum phrasi sepulturam indicat, vel ex ingenio legerem *depositio*, secus ac Cl. V. Joh. Vorstius, qvi in Notis ad Severum *compositio* legit. Nam & *ponere* pro *deponere* veteres dixisse, qvod antiqvam Lectionem confirmat, ex Nonio Marcello satis notum est, & *depositus* pro vita defuncto invenitur apud Ambrosium Serm. LXX. Joh. Abrincensem de Officiis Ecclesiasticis, Hariulfum Chronici Centulensis Libro IV. cap. XXI. Ennodium Lib. VI. Epist. 6. notante Sirmondo in Notis ad Sidonium. Plura monemus ad Coluthi Lib. I. de Raptu Helenæ.

III. Eleganter Dracontius Hispanus Poëta Christianus Hexaëmer. v. 54.

Tetra per obliqvos it vitis in orbe corymbos
Verberat & palmæ calamos non ante flagello:
Vinea pampineos subarundinat ebria campos.

Qvi versus, ut pleraq; Dracontii, terssissimi

Scri-

Scriptoris, etiam apud Cl. Weizium in mendis jacent. De priori nihil dicam, posterioris nec sensus qvidem integer appareret. Ecqvid enim ad vitem palma? qvid illa deniq;? --- *verberat non ante flagello.* Rectius eqvidem ex nostrâ emendatione, genioq; antiqvioris poëseos legitur:

Verberat & palmes calamos ludente flagello.

Palmes enim *sarmentum est & prælonga vitis luxuriantis virga, cujus summa & extrema pars flagellum dicitur, qvæ ventis utplurimum debet ludibrium,* ut egregiè docet Fr. Taubmannus V. Cl. in notis ad Culicem Virgilianum. v. 73. Calamos autem vocamus caulem vitis qvotannis progerminantem, & ad calami modum exsurgentem. Idcirco satis appositè palmitem, inqvit, verberare calamos flagellô ludente, elegantissimâ & prorsus Virgilianâ phrasi, cujus generis plures à vitibus petitæ in Poëtarum scriptis occurrunt, Virgil. Georgic. Lib. II.

-- -- -- *& dum se lætus ad auras*
Palmes agit, laxis per purum immissus habenis.

Auctor Culicis Virgiliani, qvem Cornel. Gal-

Gallum fuisse existimo, aut seqviorum qvendam Seculorum scriptorem, Virgiliano nomine temerè abusum, (multum enim abest à majestate & divinitate Virgiliana) v. 73.

-- -- *viridi cum palmite ludens*
Tmolia pampineo subter coma velat amictu.

Varro, Scaligero auctore, de diversô negotiô:

Capitis corona fascibus tiliginis
Faciem labore flatili viridis premit.

De Vite rursus Claudianus Epithalam. Palladii:

-- -- -- *crispatur opaca*
Pampinus, & vitem sudantem ventilat uvis.

Pulchrè hac de re Georgius Pisida CNP. Ecclesiæ Chartophylax in κοσμογραφία v. 1596.

τίς γὰρ θεωρῶν ἔτερον, ἢ κατεπλάγη
τὸν ὄντα θερμὴν ὑγρότητα τῷ ξύλῳ
καὶ πῶς τὰ φύλλα τὰς ἑτοίμους εἰς
ῥύσιν.

Ῥάγας περιπύουσι -- -- Ambrosius egregiè de vite loqvitur Hexaëmer. III. cap. XII. *Vitis arborem circumdat lacertis,*

τὰ, *pampinis vestit, sertis uvam coronat.* Nec minùs appositè Basilius M. Homil. V. in Hexaëm. ὅσα συνέτρεχε κατὰ ταυτὸν ἠρτημένων ὑπὸ τῆς φύσεως παραγόμενα, ἡ ῥίζα τῆ ἀμπέλε, τὰ κλήματα ἐν κύκλω ἐυθαλῆ, καὶ μεγάλα ὑπὲρ γῆς κεχύμενα, ὁ βλαστὸς, οἱ ἕλικες, ὁ ὄμφαξ, ὁ βότρυς. Prorsus elegantia sunt illa Cypriani Lib. II. *dant secessum vicina secreta, ubi dum erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arundines bajulas repunt, viteam porticum, frondea tecta fecerunt.* Amœnissima sunt, qvæ Sidonius habet Lib. V. Epist. XVII. *Hìc pars sub umbra palmitis adulti, qvam stipitibus altatis cancellatim q; pendentibus pampinus superducta texuerat.* Hæc in amœnissimo negotio studiosè cumulavimus, ut qvàm studiosi Elegantiarum fuerint Ecclesiastici auctores, luculenter inde cognoscatur.

IV. Illustre apud veteres, cumprimis medii ævi arbitros ADVOCATORUM ECCLESIÆ nomen, cujus explicationem prolixè dederunt alii, paucis nos ad Coluthi Lib. I. v. 139. ubi, de vigilibus veterum

ex Claudiano, Custodibus, ex *Udalrici* Lib. I. Consvetud. Cluniac. *Walafrido Strabo* cap. II. de vita S. Otthomari *Aldrevaldo* de Miraculis S. Benedicti Lib. I. *Catello* Lib. V. Rer. Occitan. *Octavii Boldoni* Lib. II. Epigraphices, *Curtio Pichena* ad Lib. I. Annal. Taciti, *Simeone Dunelmenſi*, *Jacobi Warei* Antiqvit. Hybern. cap. XXV. Curatoribus ex *Agathio* Lib. I. *Theophane* & *Henrico Valeſio* ad Evagrii Lib. V. egimus. Patroni & custodes Eccleſiarum veteri olim ſtylo Advocati vocabantur, de qvibus ut alii plures fuſim agimus, *ἱστορημένοις de dignitatibus & Officiis Principum hæreditariis.* Plura erudite tradit INL. *Baluzius* ad Capitulare Caroli M. Videatur de hoc negotiô *Aimoinus* Lib. IV. Hiſt. Franc, *Dudo* de actis Normannorum, *Ademarus Cabanenſis*, *Aldrevaldus* Lib. IV. de Mirac. S. Benedicti cap. VI. *Fulcardus Lobienſis*, *Abbo Floriacenſis* in Can. cap. II. *Ughellus* Tom. VII. Italiæ Sacræ *Gvalbertus* in Polyptyco Marcianenſi, *Ditmarus Mersburgenſis* Lib. II. *Chronicon Montis Sereni* ad Ann. 1127. *Higaldus* in Vita Roberti Regis, *Arnoldus Lubecenſis* Lib. III. cap. XVIII.

XVIII. *Chronicon Lobiense*. *Lambertus Schaffnaburgensis* ad A. C. 1071. *Chronicon Laurishamense* & *Trudonense* Lib. V. *Dietericus* Monachus cap. VII. de Illatione S. Benedicti, *Monachus Pegavienſis* in Wiperto Grocenſi, *Annales Colmarienſes* ad Ann. C. 1293. *Albertus Aqvenſis* Lib V. *Chronicon Caſinenſe* cap. XXXV. *Laurentius Leodienſis* in Hiſtor. Epiſc. Virodunenſ. *Baldricus* in Chronico Cameracenſi Lib. I. cap. X. *Albertus Stadenſis* in Chronic. *Bucelinus* Lib. III. Gallo-Flandriæ cap. XX. *Lovettus* in Hiſtoria Bellovacenſi, *Miræus* Lib. I. Diplomat. Belgic. cap. XXXIII. *Andr. Duchesnius* in Hiſtoria Vergiacenſi, *Juſtellus* in Hiſtoria Arvernica & Bellovacenſi, *Barnabas Briſſonius* Lib. IIX. Formul. *Bromerus* Lib. III. Antiqvit. Fuldenſium, & qvi primo loco nominandus erat Celeberrimus Polyhiſtor. *C. S. Schurzfleiſchius* univerſæ Antiqvitatis Arbiter, cujus hanc in rem clariſſima monumenta exſtant.

V. Ad viam redeo Paulino Pontio Meropio illuſtri Nolanenſium Epiſcopo antiqvam lectionem contra Cl. Gro-

novium adserturus. Apud istum carmine XIV. seu Epithalamio Juliani & Iæ, legitur:

Qvaqve caput pasſis cumulatum crinibus augent,
Turpe gerent nudo vertice calvitium.

Mendum hic qværit Gronovius cap. X. observat: & *pasſis* crinibus legendum judicat, cùm pasſi, hoc est soluti & pasſim dati crines caput non accumulent. Liceat tamen ab auctoritate tanti Hominis digredi, & veterum semitas legere, qvi pasſos crines vocant, non ut ille argutatur pasſim dispersos, sed expansos potiùs & caput amplô ornatu cumulantes, sic apud Ciceronem legitur in Qvæst. Tuscul: *Qvò etiam velis pasſis pervehi liceat*, qvô loco expansa vela, ut crines expansos intelligi liqvet. Ac eâdem ratione Paulinus noster Carm. XIII.

Sanctumq; Christo Nazaræus verticem
Pasſis adornat crinibus,

præterea qvæ in contrariam partem ex Hegesippo, Ambrosio & Prudentio adducit loca luculenter qvidem ostendunt phra-

phrasin, *pascere crines*, usitatam esse, sed utrum *passi crines* ἀναμφισβητως dici possint, & hôc qvidem potissimum locô, graviter eqvidem dubitamus: Malim si qvid mutandum hic esset ex ingenio emendare:

Qvæqve caput passis cumulatim crinibus auget.

aut aliâ ratione. *Qvæqve caput pasim* -- -- Τὶ δὲ ταῦτα πρὸς ἄλφιτον;

VI. Fausto Rejensi in Galliis Episcopo restituendus locus est, apud qvem Librô de Creaturis, qvòd illis nihil incorporei insit, etiam Canisii & aliorum sententiâ legitur: *Dic mihi, si corpus non habuit, ubinam in aëre concretio, ubi sese hæc ipsa nescio, qvam colligere potuit crasitudo.* Commodè nos monet ipsa ratio & Latinæ lingvæ genius, legendum, *nescio, qvæ*, cujus generis menda centum alibi apud Dionysium Periegeten, Qv. Calabrum, Tryphiodorum, Coluthum, M. Vitruvium, A. Gellium, Rhemnium Fannium, Eustathium Thessalonicensem, Albricum Jul. Hyginum, Lucia-

cianum, Apollodorum, Lutatium Placidum, Macrobium & alios notavi Aldo Manutio & Rob. Stephano sæpenumerò neglecta.

VII. De Hieronymo exstat grave Prosperi Aqvitani testimonium, Librô contra Ingratos:

-- -- morum exemplum mundiq; magister
Hieronymus; libris valdè excellentibus hostem
Dissecuit, nosciq; dedit, qvo turbine veram
Vellent exortam lucem obscurare tenebræ.

Principio Græci Idiomatis neglectus facilè patet ex voce Hieronymus, qvam ita contrahit ut Jeronymus legat, consveâ hujusmodi scriptoribus ratione. Sic *Euripides* legitur apud Sidonium Carm. XI. v. 235. *Psalterium* habet Arator Carmine ad Vigilium v. 26. *Mysterium* Corippus Lib. II. v. 143. *Ecclesiam* Drepanius ad Moduinum, v 54. Sedulius Lib. IV. v. 361. Fortunatus Lib. III. cap. VII. *Socratem* Maximianus Eclog. I. v 48. *Scholam* Corippus Lib. IV. v 188. Versu tertiô vox *dissecuit* minimè omnium qvadrat, mallem *disjecit* aut aliam

aliam qvandam vocem interpolare magis commodam ac Prospero convenientem.

IIX. Variè diverseq; olim disceptatum de nominis divini παραγραμματα interpretatione in qva exponenda totus est Petrus Galatinus Libro de arcanis Catholicæ Veritatis, cap. XI. & XII. Evolvatur ex Hebræorum Criticis libris, *Codex Sanhedrin* cap. VII. fol. 66. *Codex Abhoda sarra* cap. I. fol. 18. *Codex Succa* cap. I. fol. 5. *Liber Jalkut* in Psalm. 91. fol. 119. *Aben Esra* Præfat. in Legem. *Liber Ikkarim* Orat. II. cap. 28. *Akedas Jizchak.* fol. 100. *Codex Pesachim* cap. 3. fol. 20. *Codex Kiddus hin.* cap. 4. fol. 71. *Codex Schabbath* cap. 6. fol. 63. *Codex Succa* cap. 1. fol. 5. R. Chuk i in Libro Chaskuni ad cap. 3. Exodi, Jani Drusii, Buxtorffii & Schikardti lucubrationes. Etiam inter gentes hac de re qvæsitum & qvid vox ἰάω denotet expositum à Labeone. Apud Macrobium Lib. I. Saturnal. cap XVIII. seqventia legimus: *Consultus Apollo Clarius, qvis deorum habendus sit, qvi vocatur Iao, ita effatus est:*

Φεύ-

Φράζεο τῶν πάντων ὑπατὸν θεὸν ἔμμεν ἰαω
χείματι μὲν τ' αἴδυν, Δία, δ' εἴαρος ἀρχομένοιο
ἠέλιον δὲ θέρεος, μετοπώρου δ' ἄβρον ἰάω.

Clarissimè hic patere arbitror versu ultimo vice τοῦ ἰάω, ἴακχον, qvod Bacchi apud Græcos nomen, legendum esse, ut mirer adeo eruditissimos viros Vossium Lib. 1. de Idololatr. cap. XIV. & Nic. Fullerum Lib. IV. Miscellan. Sacror. cap. XIV. hunc locum explicantes nihil istius rei subolfecisse. Eqvidem cum tradat oraculum Iao hyeme Plutonem, vere Jovem, æstate Solem vel Apollinem appellandum, non poterit autumno sine turpissima Palilogia rursus eodem nomine appellitare. Contrà cum autumnus conveniat Baccho; idemq́ve inter primi nominis Deos referatur, clarissimè constat, eum qvartô hic locô indigitari. Qvò faciunt seqventia Macrobii: *Hujus oraculi vim, numinis nominisq́; interpretationem, qvâ* LIBER *pater & Sol* ἰάω *significatur, exsecutus est Corn. Labeo.*

Me-

Memini me hanc rem aliqvando ex omni antiqvitate fusiùs exposuisse, & qvid περὶ τȣ̃ τετραγραμμάτȣ ὀνόματος veteres fabulati fuerint ex instituto ostendisse.

IX. Non facilè invenies vetus monumentum, qvod corruptum magis sit, carmine Q. Septimii Florentis Tertulliani de Jona & Ninive, à Franc. Jureto, ope Pithœani Codicis & Christiano Daumio, ad Nobil. Barthii operam vulgato. v. ejusdem 100. habetur septipes, & metro abundans:

-- *fluctumq; secat sub fluctibus imis*
Conclusus neq; tinctus aqvis, maris intimus exter
Inter semesas classes resolutaq; corpora putri

Digestu. --- -- Remedium huic malo qvæsivêre Juretus & Barthius, qvorum ille Notis ad Tertullian. legit

-- *maris exter & inter*
Semesas &c. -- -- hic diversâ ratione, vocem *corpora* pro glossemate habet, & ex tota sententia ejicit, & deniq; pro *classibus clades semesas* reponit. Philippus Robertus V. Cl. ita olim emendabat ut legeret

maris

-- *maris inter & exter*
Semesas classes &c. -- -- Nobis dispar inde suspicio oritur, cum judicemus vocem *inter* omninò ad priorem versum rejiciendam esse, Roberti & Jureti judicio. Ita enim mutata distinctione interpungimus:

-- *neq; tinctus aqvis maris, intimus inter*
Semesas carnes, resolutaq; corpora putri
Digestu, sua jam vel vivus funera discens.

Ubi denuo corruptus codex legit *vel ira*, Robertus *vel vatis* prorsus *ἀκύρως*, Barthius *velocia funera*. Juretus commodum nobis adstipulatur.

MISSUS V.

Theologia Gentium, Theologorum Roman. scripta. Theologiæ Judaicæ divisio. Theologiæ Homileticæ vices. Homiletici veteres. Axiomata Principum communia. Raynaudi de litera o. conciones. Recentissimæ Patrum editiones. Glossographi & Scholiastæ Sacri. Pericopæ Evangelicæ. Augustini mendum notatur. De æqvali Petri & Pauli Apostolos honore.

I. Antiqvioris Gentium Theologiæ cogni-

gnitio multum facere poterit, tum ad Criticam Theologiæ Historiam, tum ad naturalis de DEO scientiæ conditionem felicius indagandam. Qvâ qvidem in re multa præstitit Cl. Vossius Libris de Idololatriâ æternitate dignis, & complures Græcarum Romanarumq; Antiqvitatum συγγράμματα. Multa autem restant præcipuè in Augurali & Pontificio Jure, gravissimisqve veterum disceptationibus, qvorum vis atqve ratio nullibi explanata invenitur. Hôc consiliô veterum Tabulas, velut ex naufragiô collegimus, totoqve velut animô elaboravimus, ut *reliqviæ scriptorum Theologiæ antiqvioris Romanæ, Auguralis & Pontificii Juris* qvàm freqventissima exstarent. Idcirco privatâ olim operâ coagmentavimus fragmenta *Librorum Censoriorum*, *Librorum Sacerdotalium*, *Libri de Auspiciis*, qvos publicô olim nomine extitisse, & Legum præscriptorumvé in omni Theologia vicem obtinuisse Gellius Auctor est. Accedunt *Annales Pontificum*, *Hylli* Liber de diis, *C. Trebatii* de Religionibus Lib. II. *Nigidii Figuli* Auguriorum privatorum liber.

ber. *Masurii Sabini* Fastorum Lib. II. *C. Cesaris* Auspiciorum Libri, Libri Pontificales, *Labeonis Antistii* de Vestali virgine Capienda, Posteriorum Lib. XL. *Capitonis Atteji* de Jure Pontificio Lib. V. *Fabii Pictoris* Juris Pontificii liber, *M. Varronis* Rerum divinarum Libri, & Liber Augurum. *C. Bassi* de diis Commentarius, *Julii Modesti* de feriis, *M. Messalæ* de Auspiciis, omnes deperditi, & in Λειψάνοις superstites, de quorum præcipuis Lectionum Augustarum Lib. I. disputatur. Apollodori Libros περὶ θεῶν. *Albrici* Imagines deorum publicè exstantes iisdem jungi deinceps possunt.

II. THEOLOGIÆ JUDAICÆ divisio diversa apud Rabbanistas habetur. Nam eandem præter Mosen Maimonidem R. Josephus Castiliensis in opus Breschith & Mercaba partitur, docente Joh. Reuchlino Lib. I. de Arte Kabbalistica, & Magnifico CARPZOVIO Introduct. in Theolog. Judaicam Raimundo Martino præfixam, cap. VI. Priorem partem מעשה בראשית sive opus de Creatione vocant à prima Geneseos voce, qvæ qvidem pro-

proprium scripturæ sensum proponit, & ad praxin tendit, mundum præsentem & qvicqvid in hac vita homini contingit, considerat, & à Thalmudicis Doctoribus explicatur. Alteram מעשה מרכבה opus currus appellant, à visione Ezechielis, qvæ allegoricum & anagogicum Scripturæ sensum exponens, mundum venturum, divinas res & mysteriis plenas tractat, & à Cabbalisticis doctoribus publicè proponitur. Brevissimam Theologiæ Judaicæ κατήχησιν vulgavit R. Abraham Ben Chanania Jaghel titulo לקח טוב doctrina bona, Vener. 1595 Latinè editam à Ludovico de Compiegne de Veil 1679. Londini & 1690 Franiqveræ.

IV. HOMILETICA THEOLOGIA cùm diu barbaricâ ætate delituisset, nuper nitidissimo schemate elegantiq; facie in publicum prodiit. Eqvidem malè illi cum Scholastica convenire visum est, qvâ oriente, cùm olim svavissimorum verbi præconum Augustini, Chrysostomi, Ambrosii, Gregorii M. mox Radulphi Ardentis majestate eminuisset, ad incitas redacta est.

est. Ut adeò illorum temporum conciones ob divisionum ineptam multitudinem, troporum & affectuum gravissimos defectus, jejunos vocabulorum rythmos & creberrimas disputationes, meritò rejiciantur. Rediit pristinus ille splendor divina LUTHERI opera, operam dantibus hujus seculi Theologis, ut hoc etiam nomine præcipuam dignitatem sortiantur. Nam apud Pontificios complures hujus rei satagunt teste Bailiô in Bibliothecâ Concionat. inter qvos eminet P. Theophilus Raynaudus universo orbi notissimus. Reformatis hanc laudem vendicant Theologi Britanni totô abhinc seculo principatum istius rei obtinentes, in his antiqviores cœteris Joh. Boys & Josephus Hallus. De diversitate Methodi Heroicæ, Paraphrasticæ, Totalis & Pancratianæ, qvibus accedunt hodiernæ plures, sæpenumerò actum est.

V. Ut & eam χρήσιως Theologicæ partem expleamus, qvæ in scriptorum veterum enumeratione constat; adjungamus licet *Homileticos veteres* in Theologia Pa-

Patrum edit. noviſſimæ contentos Leone M. Chryſoſtomo aliisq; quorum integra exſtant opera rejectis. Exſtant igitur Homiletici veteres S. Zeno, Epiſc. Veronenſis, S. Macarius Senior, Titus Epiſcopus Boſtrenſis, S. Aſterius Amaſenus; Chromatius Aquilejenſis, Amphilochius Epiſc. Novatus, Timotheus Hieroſolymit. Maximus Taurinenſis, Euſebius Gallicanus, Baſilius Seleucienſis, Valerianus Cermelienſis, Cæſarius Arelatenſis, Eleutherius Tornacenſis, Laurentius Novarum Epiſcopus, Anaſtaſius Sinaita, Chryſippus Hieroſolymitanus, Gallus Confeſſor, Sedatius Epiſcopus, Eulogius Alexandrinus, Iſichius Presbyter, Sophronius, Antiochus Monachus, Leontius Cyprius, Eligius Noviomenſis, Eſaias Abbas, Hildephonſus Toletanus, Georgius Nicomedenſis, Joannes Nicenus, Johannes Theſſalonicenſis, Gregorius Antiochenus, Germanus CNP. Theodorus Studita, Joſephus Theſſalonicenſis, Joannes Caleca, Joannes Xiphilinus, Amedeus Lauſanenſis, Calixtus Papa, Godefridus Vindocinenſis, S.

Norbertus, Drogo Abbas, Joannes Cyparissiota, Arnulphus Lexoviensis, Gverricus Igniacensis, Ekbertus Monach. Demetrius Cydonius, Nicetas Paphlago, Maximus Planudes. Ex Seculi XV. Historia addi possunt Johannes Münsterbergius, Nicolaus Stor, Joannes Hebererus, Andreas Gersdorfius, Joannes Zachius, Arnoldus Westphalus, Joannes Wissenburgius, Jodocus Osiliensis, Stephanus Lucifer, Georgius Orterus, Balthasar Geyrensis, Joannes Brundemannus, Joannes Erlenbachius, Nicolaus Lakman, Joannes Kannemann, Christianus Burkslevius, Georgius Oderanus, Michaël Smelzerus, Michaël Muris, Ludigerus Abbas veteris Cellæ, Johannes Res, Joannes Babenbergensis, Hieronymus Dungershemius, Joannes Crynitius Alemannus.

VI. Ad explicationem Antiqvitatum Hebræi Codicis, faciunt Communia PRINCIPUM AXIOMATA, qvorum ex genere Ægypti Reges *Pharaones*, Philistœos, *Abimelechos*, Syros *Hadados* dictos fuisse, ex Geneseos & Regum libris patet. Sic ex publi-

publicâ Gentium Historia & antiqvitate omni constat, Romanos Imperatores, *Cæsaris, Augusti, Antonini & Germanici*, Bithyniæ Reges *Mithridatis*, Paphlagoniæ Principes *Philiamenis*, Bithyniæ Reges, *Nicomedis*, Cappadocum *Ariarathis*, Indorum, *Taxilis* & *Palibroti*, Ægypti Reges *Ptolomæi* & *Caliphæ*, Numidarum *Jubæ*, Peruvianos *Incarum* nomine fuisse insignitos. *Candace* vocabatur Æthiopiæ Regina, *Merovingi* Galliarum Reges Fresneô teste; Latinorum *Murrani*, Albanorum *Sylvii*, Hetruscorum, *Aruntes & Lucumones*, Longobardorum *Flavii*, Ostgothorum *Anses & Amalæ*, Danorum *Skioldungi*, Persarum *Artaxerxes & Choscoes*, Parthorum *Arsaces*, *Tigranes*. Bojorum Principes *Cacanni*, Turcarum *Constantini* Leunclavio in Pandect. Turc. cap. XLVI. docente. Serviæ *Lazari*, Ionum *Palmides*, Hunnorum *Chagani*, Arabiæ Reges *Tobbaa*, *Hamyar*, Amalekitarum *Agag*. Damascenorum *Adores*, Epiri Despotæ, *Leonhardi & Caroli*. Qvæ qvidem omnia cum aliis fusè explicata dedimus Veterum auctoritate sancita Dissertatione

de Communibus Principum nominibus.

VI. Specimen Antiqvæ Homileticæ dedit P. Theophilus Raynaudus, qvi Volum. VII. operum Tractat. V. ubi de Antiphonis VII. qvæ ante Nativitatis Christi festum cantari solent concionaturus, primam earundem literam O. thema concionum designavit, & multa notatu digna, in vastissimâ materiæ sterilitate notavit.

VII. Intererit etiam Theologicæ κρίσεως ut de Patrum & Scriptorum τῆς ἐκκλησίας editione simus solliciti. Multum hic operæ suppeditabunt Patrum Bibliothecæ, multùm novissimæ eorundem editiones, qvibus similes meô qvidem judicio nulla ætas vidit. Nam præterqvam qvòd variis undiqv; augeantur ἀνεκδότοις, decore etiam & elegantiâ antiqviores longè antecedunt. At enim si probatissimas veterum emendationes gravissima curâ, elucubratas hic postulaveris, meritò svademus, ut ad antiqvos te recipias, præsertim cùm subdolis Pontificiorum consiliis multa hodiè confingantur, multa interpolentur in Patrum scriptis, qvotiescunq; no-

va

va & inedita proferant, qvod in ultima Bibliothecæ Patrum editione eruditissimi homines cumprimis desiderant. Eminent præ cæteris nitidissima AMBROSII ἔκδοσις à Benedictinis Fratribus Paris. 686. curata. THEODORETUS Joh. Garnerii Paris. 1684. fol. THEOPHILUS Antiochenus è Theatro Sheldoniano Oxon. 1684. LACTANTIUS Thomæ Sparkii Oxon. 1684. & Cantabrigiæ 1685. INNOCENTII III. Epistolæ à Stephano Baluzio. Paris. 1682. ed. Meropius PAULINUS Nolanus. Paris. 1685. PAULINUS Petrocorius Christiani Daumii Lips. 1682. MARIUS MERCATOR Baluzii Paris. 1684. ATHANASIUS Colon. 1686. fol. ORIGENES P. Dan. Huetii ANASTASIUS Sinaita Dacerii 1683. Londin. 1682. AUGUSTINUS Monachorum Ord. S. Benedicti. Paris. 1679. 1680. 1681. fol. CYPRIANUS Joh. Fell. Episcopi Oxoniensis Oxon. 1682. fol. HIERONYMUS sumptibus Ser. Princ. Friderici Duc. Saxon. Lips. 1684. fol. FULGENTIUS Paris. 1684. BERNHARDUS Mabilloni 1666. fol.

IIX. Accedit utilissima Theologo Critica Glossarum & GLOSSATORUM notitia, eorum præcipuè, qvi in Sacrum Codicem mediô ævô sunt commentati. Nam ordinariæ Glossæ crebra, apud Scholasticos fit mentio, cujus auctor Strabus Fuldensis judicatur. Glossam interlinearem confecit Anshelmus Laudunensis, Glossas Biblicas Gvilielmus Brito, memorante Fresnéo in Præfatione Glossarii. pag. 89. Isonis S. Galli Glossemata in Prudentium, & Anshelmi de Monte Leonis Glossæ in Matthæum referri huc merentur, qvibus jungendos judicamus in explicandis Theologicis vocibus impendiô occupatos Uguttionem, Johannem de Janua, Papiam in Glossariis, rursus Mammotrectum, Vocabularium, Catholicon parvum, Gemmam Gemmarum, antiqvæ κρίσεως non contemnendos Commentarios qvorum lectio multa nos docebit, cumprimis ad Scholasticorum tricas & Vulgatæ Interpretationis loca ritè interpretanda. Verum de his aliqvandô luculentius constabit *Libro de Glossis, Glossematis, Glossariis & Glossographis*

ex

ex mediâ περίστασι deducendô, Græcum Bibliorum SCHOLIASTEN & centum alios, qvorum Scholia in Sacrum Codicem & Ecclesiasticos scriptores exstant olim memorabimus Φιλολογημένων de Claris Scholiastis Libro.

IX. De *Pericopis Evangelicis* magna olim disceptatio atqve controversia fuit, plerisqve ad Caroli M. ætatem primam illarum originem referentibus. Exstant tamen non levia rerum argumenta qvæ antiqviora omninô esse non leviter confirmant. De subseqventibus continuô ordine Nativitatis JESU & Martyrii Stephani τῆς πρωτομάρτυρος (ita enim vocatur apud Auctorem vitæ Arnulphi Episcopi Metensis) diebus festis Augustinus Sermon. I. de S. Stephanô loqvitur pericoparum fundamentô usus: *Celebravimus hesterno die natalem qvô Rex Martyrum natus est in mundo; Hodie celebramus natalem, qvo primicerius Martyrum migravit ex mundo. Oportebat enim, ut primùm mortalis pro mortalibus susciperet carnem, ut sic mortalis pro immortali contemneret mortem. Et ideo natus est Dominus,*

ut moreretur pro Servo, nec servus timeret, mori pro Domino. Malè tamen hic legitur: *primùm mortalis pro mortalibus susciperet carnem,* cum manifestò constet *immortalis* vocem hic substituendam esse. Verùm hâc de re luculentissimè commentatus est Magnif. Parens Dissertat. de Pericopis Evangelicis.

X. Inter Sanctissimos CHRISTI Apostolos primæ dignitatis Viri PETRUS & PAULUS πρωτοκορυφαῖοι appellantur in Gestis Synodi Florentinæ, apud Maximum Taurinensem Homil. IV. de natal. Apostol. Fortunatum Pictaviensem Lib. III. de vita S. Martini, Hilarium Arelatensem, Homil. de Natal. Apostol. Eosdem Principes Apostolorum appellat, Nicolaus I. P M. Epist. ad Michaël IMP. Gregorius Papa Lib. I. Dialog. cap. XX. Agatho Epistol. ad Imperat. Innocentius III. Sermon. de Apostolis, τῆς ἐκκλησίας πρεσβύτας Cyrillus Hierosolymitanus Cateches. VI. Principes Sacerdotum Ambrosius Serm. I. κορυφαίους τῶν ἀποστόλων Joann. Chrysostomus. Æqvam Petro & Paulo digni-

dignitatem utiqve tribuunt Oecumenius ad cap. XIX. Actor. Chrysostomus in cap. I. ad Galat. & Paulus ipse sibi hoc vindicat. 2. Cor. XI. com. 5. λογίζομαι μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπὲρ λίαν. Insuper Joannem pari dignitatis gradu habet Cyrillus Epist. ad Nestorium: καὶ γὰρ Πέτρῳ καὶ Ιωάννης ἰσόλιμοι μὲν ἀλλήλοις, καθὸ καὶ ἀπόστολοι καὶ ἅγιοι μαθηταί. Jacobum verò in consortium admittit Chrysostomus Hom. XXIII. superiora Pauli verba παραφέρων, οὐχ ἁπλῶς τῶν ἀποστόλων εἶπων, ἀλλὰ τῶν ὑπὲρ λίαν, Πέτρου καὶ Ἰακώβου καὶ Ιωάννην δηλῶν. Unde certissimô argumento contrà Leonem Allatium Lib. I. de Consens. Or. & Occ. cap. IV. & V. concludimus primariam dignitatem non soli Petro propriam hæreditatiô jure fuisse, qvæ prima Pontificiæ Majestatis βάσις judicatur.

MISSUS VI.

Euthalius ad Martyrologium duplici vice emendatus, Sophronii lectio interpuncta, illustrata. Assus apud Euthalium. Paulus extra XII.

Apost. numerum. Cardinalium nomen. Καρδιναλεις, Καρδιναλιοι, Καρδιναλιον. Macarius Antyranus conjecturâ illustratus. Aves Quadrupedes. Pauli patria. Euthalius cum Sophronio collatus. Auctor Epist. ad Hebræos. Monachi Corbejenses & Bogomalor. de anima hæreses. Bogomili. Palilogia ex V. & N. T. ac Patrum scriptis deducta.

I. Ex Romano Cæsaris Baronii operâ editô Martyrologio nuper emendatus EUTHALII Locum ἐν ὑποδημίαις παύλε τοῦ Ἀποστόλου, ubi de feriis ad memoriam Pauli institutis: Μνήμης, inqvit ἡμέραν πανηγυρίζουσι τῇ περὶ τελῶν καλανδῶν Ιουλίων, ἕκτῳ τῶν ὅλων μηνὶ τοῦτο μαρτύριον ἑορτάζοντες. Nam memoriam Pauli in III. Calend. Julii collocat, qvam pridie Kal. Julii memorat Martyrologium: *Pridie Kalendas Julii, Commemoratio S. Pauli Apostoli*, consentientibus Beda, Usuardo & Adone ut Baronius probat in Annotat. Unde concludo repudiatâ veteri Lectione, ponendum hic esse: τῇ πρὸ τῶν καλανδῶν Ιουλίων, die ante Calendas Julias. Altera verò Euthaliani dicti pars longè mihi cor-

corruptior videtur, nam qvid per istud ἕκτῳ τῶν ὅλων μηνὶ intelligatur, nondum hariolor. Martyrologium ad sextam Julii diem Septimanam Pauli collocat: *Pridie Nonas Julii, Octava* (sc. Septimana,) *Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli*: unde ita emendari potest ἕκτῃ τοῦ Ἰουλίου μηνὸς τὰ τῶν μαρτύρων ἑορτάζεται. At ubi de Martyrio loqvendum est, recurramus necesse est ad XXIX. Julii qvæ Martyrio Petri & Pauli in Romano Martyrologio Sacra est. Unde vel dicendum est, apertè hîc aliam Euthalii sententiam esse, aut diversam lectionem supponi, qvam utinam Baronius aut alius qvispiam feliciter explicâsset. Forte ad Octavam, de qva suprà diximus, respicit noster, ut adeò legendum sit ὀγδόῃ τοῦ Ἰουλίου, aut τῇ ὅλῃ μηνός.

II. SOPHRONIUS Hierosolymitanus Patriarcha in vita Pauli de ejusdem obitu scribit: πεσαρεσκαιδεκάτῳ Νέρωνος ἐνιαυτῷ, τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, ἣ καὶ πέτρος ἐν Ρώμῃ ὑπὲρ ἰησοῦ χριστοῦ ἀποκεφαλισθεὶς ἀπετέθη ἐν τῇ ὁδῷ τῇ λεγομένῃ ὀστησία. Sic in Martyrologio *Paulus & Petrus* di-

cuntur, *eodem anno eâdemq; die passi, Paulus qvidem gladio animadversus & viâ Ostiensi sepultus.* Unde eqvidem constat τὸ ἀποκεφαλισθεὶς non ad Petrum, qvi cruci affixus, sed Paulum referendum esse, atq; ita interpungendum, ἡμέρᾳ, ᾗ Πέτρος ἐν Ῥώμῃ ἀπὲρ ἰησοῦ χριστοῦ, ἀποκεφαλισθεὶς ἀπετεθη, denq; per ὀστηνσίαν ὁδὸν Ostiensem viam intelligi.

III. ASSON, cujus Act. XX. comm. 13. mentio fit, urbis nomen proprium esse ostendit Euthalii locus: ἤρξατο ἀπὸ Φιλίππων πάλιν εἰς τρωάδα, ἔνθα καὶ τὸν Εὔτυχον ἤγειρε πεσόντα· εἶτα εἰς τὴν Ασσον, εἶτα εἰς τὴν Μιτυλήνην.

IV. Utrum Paulus in numerum XII. Apostolorum referendus sit, multi multis disceptârunt. Negat Sophronius: In Vita Pauli, init: Παῦλος ὁ ἀπόστολος ἔξω τοῦ ἀριθμοῦ τῶν δώδεκα Αποστόλων τυγχάνων. Idem ostendit Michaël Glycas Epistol. ad Constantinum Palæologum seqventi initiô: τί δὲ καὶ περὶ τοῦ μακαρίου Παύλου ἠπόρηκας, εὐγενέστατε ἄνερ, εἶνε τῷ χορῷ συγκατείλεκται τῶν δώδεκα μαθη-

τῶν

τῶν τοῦ χριστοῦ εἰδέναι ὀφείλεις, ὅτι τῆς τοιαύτης δωδεκάδος ἐκτὸς ὁ πάμμενας οὗτος ὑπάρχει ἀπόστολος. Vide omnino Leonem Allatium Lib. I. de perpetua Consens. Or. & Occ. Eccles. cap. IV. § 4. 5.

V. Cardinalium nomen atqve dignitas apud Græcos scriptores ingeniô lingvæ variè deturpatur, qvod passim notavi ad Historiam Cardinalis Bessarionis Nicæni. Καρδινάλεις communiter appellantur, sic enim Bessarion ipse Epistola ad Gemisti filios: Βησσαρίων καρδινάλις τοῖς τοῦ σοφοῦ Γεμίστου υἱεῦσι. Joannes Plusiadenus: πρῶτον ὁ πάπας, εἶτα οἱ καρδινάλεις. Καρδιναρίους vocat, forsitan καρδιναλίους dicturus, Theodorus Balsamon. Lib. I. Dialog. contrà Latinos: ἃ μάλιστα ἐνωτίσθημεν παρὰ τῶν ἐν θεσσαλονίκῃ καὶ τῇ βασιλίδι τῶν πόλεων, οὐ μόνον ἀλλὰ καὶ ἐν Ἀθήναις σοφωτάτων καὶ ἱερῶν ἀνδρῶν τῶν μετὰ τοῦ κυροῦ Βενεδίκτου καρδηναρίου καὶ τοποτηρητοῦ τότε καθεστηκότος τῆς Ῥώμης προέδρου Ιννοκεντίου τοῦ τρίτου διαλεχθέντων. Idem Lib. II. ἀλλ' ὁ ῥηθεὶς καρδινάριος οὐδὲ πρὸς βραχύτι ἀποκρίνασθαι περὶ τοῦ

τοιούτου ζητήματος ἠβηλήθη. Καρδηναλίους appellat Josephus Bryennius Orat. IIX. de Sanct. Triade: ταύτῃ νοῦν τῇ συνόδῳ καὶ ἁγιώτατος πάπας ἰωάννης, ὁ τηνικαῦτα τῆς ῥωμαίων ἐκκλησίας ἐπίσκοπος διὰ πέτρου τοῦ πρεσβυτέρου καὶ καρδηναλίου παύλου Turpissimè hanc vocem transformat Macarius Ancyranus: πάλιν δὲ πονέσαντο ἐπὶ τῆς βασιλείας Κυρίου Μανουὴλ ἦλθον εἰς Κωνσταντινούπολιν οἱ πρῶτοι τῶν Γαδδηναρίων. Allatiô interprete: *Rursum sub imperio Domini Manuelis labore prævio Constantinopolin primi Cardinalium advenere.* Forsitan legendum hic Καρδηναρίων, qvod habet Theodorus Balsamon.

VI. Crucem Criticis fixêre qvæ de Avibus reptilibus Levitic. XI. v. 20. habentur. Nam de שרץ העוף, qvæ enumerantur ארבה videlicet הרגל סלעם & הגב (Arbeh, Selaam, Hargol & Hagab) diversa sentiunt, Paraphrastes Chaldæus, Rabbini, Junius, Pagninus, Lutherus, Malvenda, Bochartus & Münsterus. Mihi qvidem ignotæ nobis aves egregiè à B. Luthero proprio nomine expressæ videntur, secus

ac

ac illis, qvi bruchos, locustas aut cicadas hic sibi fingunt, qvæ fusius aliqvando explicantur Exercitatione de Avibus Qvadrupedibus ad hunc locum constructâ.

VII. Paulum Tarsi in Cilicia natum, multi arbitrantur: Diversa sententia Sophronii Hierosolymitani, qvi Giscbalone Judææ vico natum, postmodum migratione factum Tarsensem luculenter tradit, in Vita Pauli. Παῦλος ἐκ φυλῆς Βενιαμὶν καὶ κώμης γισχάλων τῆς Ιουδαίας, ὀρμώμενος ὑπὸ θείσης ἀφ' ὧν ῥωμαίων τῆς αὐτῆς κώμης, μετὰ τῶν οἰκείων γονέων εἰς ταρσὸν τῆς κιλικίας κατώκησεν.

VII. Qvem profani Philologi observant in plerisqve scriptoribus παρελληλισμὸν, illum & olim in Sacris literis magnô labore multi demonstrârunt, & nos nuper observavimus in Euthalii Diaconi & Sophronii de vita Pauli scriptis, qvorum tantâ inter se invicem convenientia, ut vel Euthalius Sophronium, vel Sophronius Euthalium clarissimè imitatus videatur. Pauca hic monstrabimus, ut plura alii exponenda habeant. De prima Pauli

Apo-

Apologia Euthalius: περὶ μὲν τῆς πρώτης ἀπολογίας Φάσκων εἶδες, ἐν τῇ πρώτῃ μὲν ἀπολογίᾳ ἀδεὶς μοι συμπαρεγένετο &c. καὶ ἐρρύσθην ἐκ στόματος λέοντος, τὸν λέγων εἶναι τὸν Νέρωνα. Sophronius: ἐν τοῖς δεσμοῖς ὧν ἐπιστέλλει, λέγων· ἐν τῇ πρώτῃ μου ἀπολογίᾳ ἀδείς μοι συμπαρεγένετο, καὶ ἐρρύσθην ἐκ στόματος λέοντος· σαφῶς δηλῶν τὴν ὠμότητα, νέρωνα λέγων. Vicissim Euthalius περὶ δὲ τῆς δευτέρας &c. ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἀναλύσεως μου ἐφέστηκε. Gemina Sophronii sunt. De dimissione Pauli captivi & decem annis, secundi Apostolatus nemo melius utrisq; qvos videas, licet: Differunt tamen in anno Neronis IMP. ad obitum Pauli conferendô, cùm Euthalius τρισκαιδέκατον, Sophronius τεσσαρεσκαιδέκατον ponat. Epistolam ad Hebræos à qvibusdam Barnabæ, Lucæ, aut Clementi Romano adscriptam, Sophronius scribit ipse à Paulo ἑβραίῳ ἑβραϊστὶ, τουτέστιν οἰκείᾳ φράσει compositam, & demiq; εἰς ἑλληνικὴν transfusam cum Hieronymo arbitratur.

IX. Corbejensem Monachum Seculô X. unam

unam omnium hominum ANIMAM statuisse confutatum idcirco à Paschasio Radberto Natalis Alexander Select. Hist. Eccles. Secul. X. memorat: Diversum olim, à Bogomilis & Constantino Chrysomala dogma propositum, singulos Christianos duas habere animas, unam peccatis obnoxiam, alteram prorsus ἀναμάρτητον, nec illos verè Christianos dici posse, qui unam solùm haberent, argutabatur, anathemate explosum à Leone Styppiota CP. Patr. Synodo sub Joh. Comneno congregata, notante Allatiô. Lib. II. de Consen. c. XI. Bogomila hæresis auctorem agnoscebat Basilium Medicum, Fautores Diplatium, Niphonem, Clementem & Leontium Episcopos, Cosmam Atticum Patriarcham à Michaële Oyita condemnatum, refutante Euthymiô Monacho Zygabeno in Panoplia Dogmatica. Videatur Annæ Comnenæ Alexiad. Lib. XV. Johan. Cinnamus Histor. Lib. II. Plura notavimus Commentat. Historic. de Bogomila Hæresi.

X. Memini me olim ex ore Cl. V. Christiani

stiani Daumii institutiones novi elegantissimiq; schematis PALILOGIAS hausisse, quod rem unam simili verbo repetito non citrà emphasin exponit. Hujus generis schema notavi in Sacris literis & Ecclesiasticis scriptoribus. Nam in V. instrumento frequentissimum exstat, quale illud Ezech. XXXII. c. 8. luminaria lucis מְאוֹרֵי אוֹר Sic Matth. XIIX. com. 6. legitur ἐν πελάγει τῆς θαλάσσης. Apud Dracontium habentur *spicæ aristarum* Hexaëm. v. 138. *aquæ fontibus* v. 23. *Fœdus pacti* apud Mar. Victor Gen. 3. *Littoris acta* Prudent. 1. Symmach. *palmes flagello*, Dracont. Hex. v. 55. *Cæsaries comis* v. 277. *Labes vitii* Petr. de Riga Lib. IV. Genes. *Labes criminum* Prudent. 7. Cathemer. *Livor invidiæ* Dracont. Hex. 343. *Mare Pelagi* Sedul. Lib. I. *Invidia livor* Paulinus Lib. I. de S. Martin. *mundus in orbe* Aldhelmi Ænigm. de terra. *Semita viarum* Prudent. VII. Cathem. Sic apud Prudentium Apotheos. vers. 79 legitur

-- *video luctantia magnis*
Æquora turbinibus, tranquillo marmore tendi
Imperio Christi - - & Cathemer. XII. v. 12.

Et

-- *Et si qvod astrum Sirio*
Fervet vapore. Plura passim extant, studiosè colligenda, qvæ unà cum novi istius Schematis institutione exponi poterunt ἐὰν θεὸς θέλῃ, καὶ ζήσωμεν Philologem. de Schemate novo ἐκπεφρυλλήλου ad mentem V. Cl. Christiani Daumii construendô.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756633877/phys_0279
DFG



FINIS.



F. Reppien.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756633877/phys_0283
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756633877/phys_0284
DFG

unam omnium homini ... sta-
tuisse confutatum idcir ... ad-
berto Natalis Alexand ... Ec-
cles. Secul. X. memorat ... m, à
Bogomilis & Constant ... la
dogma propositum ; ... stia-
nos duas habere anima ... atis
obnoxiam, alteram pr ... τον,
nec illos verè Christian ... iu-
nam solùm haberent, ... na-
themate explosum à ... ta
CP. Patr. Synodo sub J ... on-
gregata, notante Allat ... on-
sen. c. XI. Bogomila ... em
agnoscebat Basilium N ... ores
Diplatium, Niphone ... n &
Leontium Episcopos, ... m
patriarcham à Michaël ... na-
tum, refutante Euthy ... Zy-
gabeno in Panoplia D ... dea-
tur Annæ Comnenæ A ... Jo-
han. Cinnamus Histo ... no-
tavimus Commentat. ... ogo-
mila Hæresi.

X. Memini me olim ... Chri-
... tiani